ALBERICI.
GENTILIS
I. C.
Professoris Regij.
Condicionum
Liber I.

S.40
8° G. 5
Jur

LONDINI
Excudebat Iohannes Wolfius.
1587.

BIBLIOTHECA BODLEIANA

REVERENDISS. IOANNI PIERCEO Episcopo Sarisburiensi.

Albericus Gentilis S. P.

ACcipe, vir reuerendissime, ab Alberico munusculum, qui tuo sic in ære est, vt vel si maxima deferat, meritorum tuorũ nec partem se æquare posse existimet. Tu me olim præstantissimi iuuenis, meique amicissimi Ioannis Benetti comendatione & in tuorum numerum suscepisti, & (quæ tua fuit humanitas) nõ leui postea studio adiuuisti seper. Memini cũ & ornare (id quod mihi cordi magis quàm Crasso aurũ) dignitate egregia, munere vicarii tui volueris. Scio quid pro absente egeris, & quanta tibi ex parte acceptam regiam hanc debeam professionem. Sit enim, vt est, illustrissimus Comes Leicestrensis, cui immo in solidum

debeam: te tamen, & alios illos Episcopos reuerendissimos, quibus & de mea mox voluntate contestabor, cæteróſq; viros nobilissimos, qui Comiti adprobatores, laudatoresque pulcræ deliberationis extitistis, creditores vel hoc nomine non agnoscere, nefas duxerim. Est ipsa per se præterea tanta virtus tua, vt si eam omni, quo possum, officio non colo, aut cæcus ego sim, qui tantam lucem non cœperim, aut rudis & rusticus maximè, qui, quod ingenui, politique faciunt omnes, eiusdem me studiosissimum non profitear, & verò siem. Sed noui, reuerendissime vir, noui, colóque excellentem doctrinam tuam, humanitatem singularem, summam integritatem, maximam sapientiam, religionem sanctissimam, reliquáſque animi tui illas dotes peregregias, quibus non vnius tantùm ordinis hominibus, sed omnibus, summisque viris, ipsíque ELIZABETHAE Regi-

næ fuisti iamdudum, meritóq;, es hodie, et indies longè charissimus eris. Illæ tibi virtutes illustrem istam Episcopatus dignitatem iamdudum pepererunt, & istas administrationes in aula quæsiuerunt, quas regina serenissima in eos conferre potest, solétque maximas, quos sua dignos beneuolentia (quantum id!) maximè putat. Illarum (non dubito) virtutum gratia alij tibi, minimè alioqui ambienti, honores contingent, qui in regno isto amplissimo summi tribui consueuerunt. Illis ego virtutibus, me licet nihil demeruisses, & debui esse, & si me noui benè, addictus maximè extitissem. addictus nunc nomine vtroque sum: atque illo adeo, istóque meas ad te defero lucubrationes, & tuo in vulgus titulo emitto; vt animi, fideique meæ erga te testimonium edant. Tu quæso voluntatem iuua: factum libens agnosce: & si non magnum videbitur; Albericum, dicas, dare, quod potest: & hoc ipsum magnum, im-

mo maximum haberi consuesse; & te maximo maius habere, qui & multo maxima ipsum complecteris humanitate. Dabis istud, spero. & alacriter propterea id, quicquid est, muneris porto: sed & nobiliora adornare contendam.

Vale. Oxon. XIIII.

Kalen. Octob.

1587.

ALBERICI GENTILIS
I. C. professoris regij.

Condicionum
Liber I.

Si Rationes Reddiderit.

FRequens hæc condicio, & plenè explicanda a nobis est. Quid igitur ratio sit videamus, quídue verbo reddendi contineatur. *Et rationem esse Labeo ait vltro citro dandi, accipiendi, credendi, obligandi, soluendi sui caussa negotiationem.* l. 6. §. 3. D. de eden. Quibus verbis omnino nihil indictum relinquitur, quod in rem istam venire possit: ut ex sequenti disceptatione apparet. Litteris autem rationes comprehendi cum solent, tum verò etiam debent, itaq; & litteræ appellantur a Cicerone Verr. 2. puto & a Iustiniano in l. 1. C. de iur. prop. calum. & de subscriptis, expũctis, dispunctis rationibns mentio passim. Atque id sanè

de libro rationum conficiendo alij monent, & præcipuum munus actoris Decius ait cons. 100. Verè. vbi & docet, quid notari in eo debeat: & docet quod modò ex Labeone descripsimus. Verum tamen est, quod nec scribi aliquando aliquid contingit. & quæ in tabulas relatæ pecuniæ non erant, hę extraordinariæ dicebãtur: quoniam scilicet moris fuerit, vt omnes ordine in tabulas referrentur. vt traditum est ad Verr. 3. Ceterùm & de his nõ scriptis satisfaciendum erit. l. libertate. 26. D. de statul. immo hoc nomine, quòd rationes confectæ non sint, teneri is potest, etiam de dolo, & vt in litem contra eum iuretur, qui cõficere debuisset. l. 1. §. 2. D. de tu. & ra. dist. Dec. d. cons. 110. & cons. 274. Viso. is & illud acceptum ab alijs probat, retractari, si quid sit omissum, etiam liberationem iuratam, decreto munitam, plena editam forma, quia dolus præsumatur, deceptio; & ita extorta liberatio; vt quandocunque retractetur: cum & reliqua supereſſe appareat. Quod est tamen cautè accipiendum: nam vt liber iste rationũ in vno capitulo adprobatus, nõ ideo & in reliquis adprobatus est: ita nec falsitas in vno nocet in alijs separatis. Dec.

cons.

conſ.317. Conficere porrò rationes quiſque proculdubio debet, qui reddere rationes tenetur. Quomodo enim rationes reddet, qui non confecit? Reddere autem quiſque tenetur qui rem alienam aut communem quocunque nomine, titulo, cauſſa adminiſtrat, tutor, curator, negotiorum geſtor, famulus, ſocius, frater etiam, qui viuo patre adminiſtrarit, mater, & pater ipſe non legitimus adminiſtrator, & capitulum de his, quæ ſede vacante geſſit, & ætatis ratione non habita etiam minor, & heres tenetur de adminiſtratione defuncti reddere rationem, & omnes in ſumma, vt per Iaſ. in l. ſi præſes. C. de tranſact. Dec. conſ. 110. conſ. 178. in cauſſa. 192 in caſu. & 255. Menoch. lib. 2. de arb. cent. 3. caſ. 209. Hotom. conſ. 1. atque alios multos, qui iſtis nominantur. Sed ſeruorum actorum in propoſito frequentior mẽtio in libris noſtris habetur. Et eſt actor, qui negotijs agendis præpoſitus eſt. Sic actor ciuitatis, rei priuatæ, prædiorum fiſcalium, Auguſtæ domus non vno loco, & alij. Sic actus ipſa geſtio negotiorum, & geſtus etiam. l. 23. D. de adm. tu. l. 14. §. 1. D. de ſolut. & alibi non ſemel. & actus ratio. l. X. D. de eden. Et actum agere: quod

quod est eam exercere negotiationem. l. Thais. §. ab heredibus. D. de fid. lib. & bona gerere: quod est administrare. l. 23. dominus. D. de pecul. leg. & actum reddere: quod est actus rationem præstare. l. eum. 17. D. de neg. gest. Seruus autem ille actor qui dicitur in § pœna. Inst. de iniur. in l. 8. D. fam. erc. alibi, seruus simpliciter (vt volunt aliqui) nominatur in l. procurator. 63. D. de procur. & simpliciter actor in l. denunciasse. D. de adult. puto quia alijs actoribus non facilè vterentur, quàm seruis. id quod colligitur ex l. si quis filio. §. irritum. D. de iniuſ. te. adeóque actoris appellatione seruus faciliùs intelligatur. sunt tamen & actores liberi. l. liberos. x. C. de lib. ca. ast hi ipsi etiam indecores, & tamquam immemores libertatis lege notati. quod scribit Alc. in l. mercis. 207. D. de ver. sign. Sed iam ad verbum reddendi accedamus. & illud in primis audiamus, quod Põponius dicit in l. boues. 89. D. de ver. sign. Ait, *inter edere & reddere rationes multum interest. nec is, qui edere iussus sit, reliquum reddere debet. nam & argentarius edere rationem videtur, etiam si quod reliquum sit apud eum non soluat.* Sic itaq; plus in reddendo, quàm in edendo est. Et edere nihil

re nihil est aliud, quàm ostendere, potestatem legendi facere, cum illis alijs, quæ notantur l.2.§.inspectio.D.test. que.ap.& toto titulo de eden.& l.9.D.de tutel. Quibus nec est contraria l.31. si seruo. D. de statul. vbi idem dicitur de verbo edendi & dandi, quod a Pomponio significatur de reddendi verbo, &, contra quàm iste docuerit, differentia eorum nulla retinetur.& de verbo dandi idem iterum quod de verbo reddendi scribitur in l.si quis.12.eo.tit. de statul. Nam ego puto differentiam, quam Pomponius dicit, in eo esse, quod edere pateat latiùs, quam reddere, & significare non modò tantundem possit, sed etiam minus. significet verò in condicione tantundem, cum quia gestores isti præstare ea omnia teneantur; tum etiam quia si reliquum non soluerent, inanis cetera omnis editio videri possit. Et est præterea hæc propria simplicis verbi significatio, vt & compositi potestatem obtineat, vt per Alc.in l.verbum reddendi.D.de ver. sign. Puto etiam nec ipsius verbi reddendi eam penitus significationem esse, vt reliquorum solutionem includat: siquidem quod positum illud sit, non ilico nec de reliquis exsoluẽdis subiungitur sæpe. l.40.Sticho.

D. de

D. de ſtatul. l. 37. ſi purè. D. de fid. lib. alibi. Et ita cenſeo, vt Pomponius non aliter verborum illorum vim, & differentiam notare voluerit, quàm per id, quod verbum edere aptius coactioni ſit, verbum reddere diffuſioni: & illud pauciobribus contentum eſſe queat, hoc ad plura libentiùs ſe extendat. Eruditiſſimus Fornerius ait, eum ad reddendum obligari, qui ſuo nomine conuenitur: alium, qui alieno adhibitus negotio ſit, vt eſt argentarius, tabellio, ſimilis, ad edendum tantùm. quod verum eſt & rationis non incertæ. Sed nos verborum poteſtatem magis explicauimus, quod deſiderabatur magis in. d. l. inter edere. Illud quidem non ineleganter adſeri per Fornerij diſtinctionem poteſt, quod adiecta argentario reddendarum rationum condicio de ſimplici editione accipi debeat: cum nec reddendi uerbum repugnet: vt expoſuimus. Et ea mihi magis placet expoſitio, quàm ſi dicimus, propriam notaſſe Pomponium ſignificationem, alibi verba illa ſubtiliùs expenſa non fuiſſe. Ceterùm, qualis ea demum ſit ſubtilitas, videamus iam latiùs, quid iſta condicione reddendarum rationum contineatur. Et explicat

Cal-

Calliſtratus I.C. in l. cum ſeruus. 81. D. de cond. & dem. atque alij : & Baldus dum Calliſtrati omnia cõpendio quaſi claudit, certum eſſe ait, condicionem hanc quatuor complecti, codices edi, calculum poni, reliqua reddi, culpam debiti ſolutione purgari. Ita in . l. cum teſtamento. C. de teſt. ma. Et fuſiùs Menochius, qui difficileque admodum eſſe poſt alios dicit, rationes perfectè reddere. Nos cum iſtis omnibus omnia excutiemus. Primùm itaque rationum liber edatur, & legendæ rationes offerantur. nec enim qui reddere rationes iuſſus eſt, ſatisfacere videtur, ſi reliquum reddat non editis rationibus l. 9. §. is qui. D. de lib. leg. & Calliſtratus, *non vtique*, ait, *ſi ille in folle reliqua obtulerit, liber erit. non .n. teſtator hoc ſenſit : ſed illud, vt rationes reddat, quomodo ſeruus reddere ſolet : id eſt legendas offerre rationes primùm.* Neq; his aduerſatur Paulus, qui ſatis condicioni factum in lege præcedenti tradit, ſi reliqua nulla ſunt. aut etiam interpretibus collectum axioma nocet, *Vbi duo propter vnum, ibi vnum tantùm :* adeoq; una tantùm reliquorum datio veniat, ſatiſque faciat, quando propter vnã hanc dationẽ requiri cetera videantur.

Nec

Nec.n.id verum est: sed lectio, aliáque desiderantur, *vt explorari possit, imputationes probè, an improbè referantur: accepta rectè relata, an non rectè: & vt notitia rationum instruamur*. d.l.81. de cond.d.l.37. de fid. lib.l.6.§.vlt.de statul.quibus concinit Cic. Verr. 3. diligentem & partitam rationum explicationem exigens, generali & confusa haud contentus: tantùm abest, vt nullam admittat. differre has porrò condiciones SI RELIQVA REDDIDERIT, SI RATIONES REDDIDERIT noster Callistratus adseuerat. itaq; hæc expleta illius esse expletio minimè possit. Neque huc aptè affertur supradictum axioma aut ex Pauli responso, aut l.31.vers.itaque. D.de statul.vel ex l.4.C. de test. ma. nam vbiq; constare debet, reliqua nulla esse: nec id constabit aliter, quàm si editæ rationes mox fuerint, & exploratæ. ille quidem finis est, & summa reddendarum rationum, vt reliqua præstentur. itaque & si de eo, qui iussus est reddere rationes, quis dicat, iussum esse pecuniam dare, potest videri non esse mentitus: quoniam rationes reddere iussus, intelligitur summam pecuniæ, quæ ex reliquis colligitur, iussus dare. l. qui libertatis. 69.§.1. D.de euict. & de modo ipso

do ipso hîc agitur rationum reddendarũ: & is sperni sine causa nequit. causſa verò excusationem præstat potiùs modi non seruati, quàm adprobationem. Et hoc in diuersis legibus contingit, quas modò referebamus. Legendæ igitur offerri rationes primùm debent: legi autem (vt traditur in l. 1. D. de his, quę in test. de.) sic accipiendum, non intelligi, sed oculis perspici, quæ scripta sunt: ceterùm si extrinsecùs intelliguntur, non videbuntur legi posse. id est rationes tales ostendi, & offerri legendæ debent, vt non maculatę, lituris fœdatæ sint, credo etiam (numeris arimethicis exceptis) vt non sint notis, aut siglis perscriptę: hæ enim oculis non percipiuntur, sed omnino extrinsecùs. neque sic scribi rationes consueuere. Offerri autem omnes oportere, & supra diximus, nec dubitandum est, atque scribit Callistratus cautiones, instrumentaque omnia actus exhibenda. addit etiam diarium Alciatus suo quodam responso: atque de eo Menochius tractat. Secundò in hac condicione implenda requiritur, vt computatę sint rationes. computatæ autem, vel putatæ rationes sunt, cum ex illis fraudis, aut falsi aut mẽdacij, aut iniqui aliquid separatur.

id

id .n. esse rationes putari, scribit Nonius de comp. doct. & inde a verbo putari verbum putum, & aurum purum putum. Vt & per Gell. lib. 7. C. 5. vbi Varum quoque notat iurisconsultum, qui malè id ipsum interpretabatur. Et ad rem ipsam quod spectat, ait pro Comœdo Tullius, *AEquè tabulæ cõdemnãtur eius, qui verũ non retulit, & eius, qui falsum perscripsit.* Illud hîc non officit, si circa computationem erratũ fuerit. Nam, vt subtiliter Africanus considerat, nisi ita obseruetur, nemo, qui sub condicione ista manumissus est, vnquam ad libertatem perueniret, cum de errore calculi securi esse non possimus .l, quamuis. 27. D. de cond. & dem. quæ fortè & ratio fuerit, vt eius erroris retractatio etiam post vicennij tẽpora admittatur. l. calculi. D. de adm. re. ad ciu. pertin. Tertio subscriptas, exceptas, adprobatas rationes esse oportet d. l. 81. d. l. Sticho. §. seruus. d. l. Thais. §. libertate. l. Lucius. 13. D. de lib. leg. Idem verò illa verba vi ipsa & in effectu sonant. Significant conuentum, & consensum de ostensis, lectis, examinatis, & redditis rationibus. vt quicquid reiectum, dispunctum, expunctũ, admissũ fuerit, id totum de cõsensu eorum, quorũ id ius, factũ, transactũ

sit. Deq; exceptione hac, & adprobatione vel per subscriptionem constet; vel per expunctionem, quæ est simplex cancellatio; vel per dispunctionem, quę est cancellatio cum adnotatione. l. 6. §. vlt. D. de statul. l. 15 D. de re. auc iu. poss. Vnde & dispunctores, qui diastolei dicuntur in. l. vlt. C. de tabell. vt Cuiacius notat, rationum distinctores, vt Alciatus scribit. Atq; ita in d. l. calculi. retractari expunctas rationes non posse, Modestinus dicit: dispunctas posse retractari, tradit Hermogenianus in l. in omnibus. D. de diu. te. præs. quoniam adnotatio calculi facta errorem ipsa ostendit, vt retractationi via minus sit precludēda, quàm si expunctæ simpliciter rationes sint. non n. potest de errore hîc liquere, nisi ex integro rationes excutiantur. & id dandū non fuerit post longa illa tēpora, quæ rectè immo initi calculi præsumptionem inducere valent. quod in dispunctione non contingit, quæ erratum liquido ostendit. & de vitio, apparenti iura sunt singularia. Atque huc illud pertinet Ciceronis in Hortensio, *Quid tu, inquam, soles, cum rationem a dispēsatore accipis, si æra singula probasti, summam, quæ ex his confecta sit, non probare?* Adi Nonium de indis. Ita illę leges mihi componi

posse videntur: quæ pugnant scilicet, si adiectam libris Florentinis ab antiquo librario negationē tenemus in. d.l. in omnibus. Nam quod etiam ilic *expunctæ* legeretur, vt in. l. calculi. habere remedium potest: quando non de expunctione sola, sed & de subscriptione dicitur in. l. in omnibus. atq; subscriptio & expunctio vnà præstare dispunctionis naturam possint. Quod si negationē non tenemus; nulla est pugna. Et supereſt tantùm explicare quod subijcitur in. l. calculi. *Sed si gratiosè expunctæ dicentur, non retractabuntur.* Legit pro *gratiosè* Cuiacius *rationes* in. l. 2. C. de iu. fi. quia verbum expunctæ non aliàs habeat, quò referatur. atq; quoniam quod fit gratiosè in perniciem reip. nullius momenti sit. Sed prior ratio est nihili: nam multa huiusmodi in his centonibus, & in integris aliis auctoribus. posterior non vrget, vel quia hoc ipsum esse nullum sit non retractari; quoniam quæ alicuius sunt vis, ea retractantur, non quæ momenti nullius habētur: vel quòd immo valeat ea gratia tanto temporis interuallo roborata; nam nec omnes liberalitates rescindi, & tempore eas adiuuari verum est. l. ambitiosa. D. de decr. ab ord. fac. l. Procula. D. de probat. Idq; mihi

hi placet magis. Quartũ porrò, quod in cõdicione noſtra deſideratur, eſt aut pariatio, aut reliquatio, & ipſorum ſimul reliquorũ ſolutio. d. l. 81. Pariare, cuius verbi mentio in. l. 4. §. 1. D. de manum. eſt paria facere, hoc eſt, ita rationes reddere, vt expenſis accepta paria ſint. *Ita ambo benigni ratiocinatores paria feciſtis. tu voto, quo ſolo valebas, ille amore pariter & facultate*, &c. inquit Nazarius in panegy. Conſtantini. Hinc pariatio. l. vlt. D. de cond. inde. & ſeruus pariator. l. Iulius. D. de cond. & dem. & cætera, quæ obſeruat Ant. Aug. lib. 4. emend. c. 12. Alex. lib. 1. gen. c. 7. Coraſ. lib. 1. Miſc. c. 14. Menoch. d. caſ. 209. Et cum pariatione idem rationes cõſolutæ Cic. ep. quo modo. lib. 5. fam. Pariatio eſt ſanè nihil reliqui habere aut debere: quod & Græci tradunt in. l. 4. §. 5. D. de ſtatul. Et parem rationem facere quid erit aliud in. l. vlt. §. vlt. D. de do. excep. quàm pro pari habere, etſi par verè non fuerit? Itaq; SI PAREM RATIONEM FECERIS exponit Bartolus pro eo, ac ſi dictum fuerit, SI NIHIL EXEGERIS. in l. Quinctus. D. de ann. leg. Reliquatio eſt habere reliqua, quæ reddi debeant. l. 44. D. de adm. tut. Et reliquatores ſunt qui habent

habent l. 9. §. 2. D. publica. queq; dicuntur se reliquasse l. 9. D. de lib. leg. & reliquati esse. l. 20. §. 5. D. fa, erc. l. 46. in prin. D. de adm. tu. l. Sticho 40. in prin. D. de statul. & reliqua traxisse. d. l. 46. in prin. & §. 1. & l. 34. §. 1. D. de statul. id tamen vltimum rectè a Græcis explicatur, vt sit, distuliſſe reliquorum solutionem. quod & verba sonant : ac certè id volunt in d. l. 34. §. 1. alibi scilicet trahere reliqua esse potest & contrahere. Menochius errat, qui reliquatum facere, idem censet quod paria facere. In solidum vero reddi ista debent l. non solùm. §. is qui. D. de lib. leg. & ex aliis tradit idem Menochius. Et id adeo verum esse credo, vt si sit vel residuus nummulus, conditionem expletam non autumem : per ea, quæ latissimè ponit Iason in l. qui rem. C. de Sacros. eccl. vbi videlicet tredecim recenset decisiones, quibus ostenditur, ob vnius defectum nummi & commodis nos priuari, & pœnis adfici, & actus nullos fieri, & cetera id genus cõ tingere. cuius copiæ adhuc (& benè possumus) plures quid casus adiungam ? Argumentum tractat & Alciatus lib. 1. de ver sign. Confirmatur verò ista sententia, quia cõdicio forma est, & res indiuidua: vt nihil

actum

actum videatur, donec aliquid agendũ supereſt. Sic pro reſiduo nec ſatis eſt dare fideiuſſorem. l. 5. D. de ſtatul. vbi quod in re obſcuriori dare fideiuſſorem licet: vt apertè negetur iſta facultas, ſi nihil tale ſolutionem moratur. Solidum ſoluendum eſt, etſi a duobus, cõmuniter tamẽ, non ſeparatim, actus eſt geſtus: nec videbitur condicio in alterius perſona impleta, niſi id, quod cõputatione rationũ habita reliquum fuerit, aut vterq; ſub ea condicione manumiſſus, aut vnus totum perſoluerit l. 13. ſi quis. §. 2. D. de ſtatul. Sed an cum reliquis venient & ipſa corpora (ita l. ſi purè. 37. D. de fid. lib.) rationum, & inſtrumenta? Tractat Bartolus in l. 1. §. officio D. de tu. & rat. diſtr. & alij diſceptant interpretes. Menochius reddenda etiam inſtrumenta dicit per l. ſi cui libertas. D. de cond. & dem. aliàs cõtra non reddentem iurari in litem. per. l. alia C. de in li. iur. Et ego idem cenſeo per. l. vlt. §. 1. D. de lib. leg. vbi liberatus a rationibus reddendis reddere inſtrumẽta tenetur. vt multo magis ea reddere teneatur damnatus, iuſſus reddere rationes. Tamẽ cum D. Pio, & Vlpiano in d. l. ſi cui. id rectiùs arbitrio iudicis cõmittemus. quid enim ſi authenticæ ipſæ rationes neceſſariæ actori videbuntur

ad instruenda ea, quæ postea emergunt ad notitiam eius spectantia? Certè hîc instrumẽta non reddẽda crediderim. iuberem tabulas ipsas authenticas adhuc residere penes actorẽ, & aduersarium, si vellet, exemplum accipere recognitũ cautione insuper accepta, vt cum res exegerit, & ipsę authẽticæ exhibeantur. quæ omnia collecta sunt ex l. 4. §. 2. l. 5. l. 7. D. fam. erc. & alia præterea colligi aliunde possent. Sed res arbitrij iudicis, vt dixi, ista. Nunc alia audiamus. *Titius Sticho seruo suo libertatem dedit*, SI RATIONES SIC DEDERIT. *quæro, an ratio per eum gesta ita putari debeat, vt damna, quæ casu contigerunt, ad onus reliquorum non pertineant. respondi, in negotio, quod voluntate domini administrasse proponatur, ea damna, quæ casu ita acciderint, vt seruo nihil possit imputari, non pertinere ad reliquorum onus.* Hęc Scæuola in d. l. Thais. §. 6. & in eandẽ sententiam, quasiq; damni exemplum ita in fi. STICHVM RATIONIBVS REDDITIS MANVMITTI VOLO. *Stichus arcarius probante domino nomina fecit, & rationes a domino scriptas exhibet, nec postea nomen vllũ fecit. quæro, an si qui minus soluendo fuerint debitores, quibus alij exactores erant applicati, nondum videatur condicioni satisfactum.*

factum. respondit, non pertinere ad onus reddendarum rationum, quod soluendo non essent debitores. Et Pomponius in.l.sub condicione.CXI.D.de cond.& dem. *Debitores, cum quibus ipse* (actor) *contraxit non vtique in diem mortis domini sui fuisse idoneos præstare cogendus est: sed eo tempore, quo his creditum est eius conditionis fuisse, vt paterf. his crediturus fuerit.* Et Decius cons. 533. iuridicas. idem tradit: quia licet administrator sibi nomina debitorum quærat credendo pecunias domini, non tamen pro illis soluere domino pecunias debet, sed solùm cedere actiones. nam tenetur domino, quia habet actiones: igitur ex regula cedendo actiones liberatur. Rursus exemplum aliud in.l. qui filium. 22. §. vlt. D. de ma. test. Si quædam reddendorum sine actoris culpa perierint, ad ea actorem non teneri, Africanus ait. Et ita cognoscimus, casum fortuitum ad actorem non pertinere, nec de eo præstando oneratum condicione nostra censeri. Diligentiam sanè præstabit & in aliis, & in hoc ipso exigendorum debitorum negotio, & in fructibus colligendis, ac adseruandis: nam hos, aut consumptorum æstimationem restituet. Sunt & qui de non gestis obligantur,

vt tutor, etiam si administratio non fuerit isti cõmissa, quia ipse instare debuit. quę alij tradiderũt, & probat Dec. cõs. 274. Viso & cons. 464. placet. & Menoch. d. cas. 209. Procurator etiam quod per errorem, aut iniuriam iudicis consecutus est, id reddere debet l. qui proprio. 46. §. 4. D. de procur. Et ita in vniuersum definiemus, ea reliquorũ nomine, & tota hac rationũ redditione venire, quæ ex gesti negotij qualitate debẽtur. Quod tamen non procedet, si aliter de reddẽdis rationibus cautũ sit. Caueri aliquãdo de certa forma solet. d. l. Thais. §. Titius. Ea forma tenenda proculdubio est, quà condicionem dicentis facultas est. Aliquando nihil aliud exprimitur, quàm vt DILIGENTER reddantur. l. 8. l. antep. D. de ma. test. l. 21. D. de statul. aliquãdo vt IDONEE. d. l. Thais §. pe. aliquãdo vt EX FIDE. l. Lucius. 73. D. de ma. te aliquando vt BENE. l. testamẽto. 18. D. de fid. lib. aliquãdo vt OMNIS, EOQVE NOMINE SATISFIAT. l. 40. §. 3. D. de statul. Hę, similésue dictiones an quid pręterea exigũt? certè in alio argumento adiectæ operari aliquid solent. l. 4. §. addici. D. de fid. lib. & dicit Iason in. l. admonendi. D. de iureiur, quod iuramentũ suppletorium nõ admitteretur, si

in

probatione quid huiusmodi adiectum esset. ita & in aliis quibusdam. Et de leuissima culpa teneri administratorem, qui bonum computum habere promisit, & reddere bonam rationem, si aliàs de leui tenebatur, vt verba aliquid operentur, scribit Dec. d. cons. 274. Sed Decio tamen illic Molinæus refragatur, atque verba ex subiecta materia, quod & nos axiomate nostro dicebamus, accipienda contendit. Et mihi sanè verius videtur, ne quid hîc per illas dictiones additum existimemus. nam & sine ipsis adiectis sic reddi rationes debent, ut totum reddatur ex eo quod gestum est, & desiderari rectè valet, actúmq;, fidémque respicit. d. l. Thais. §. libertatem. & §. seq. quibus reliqua adiungantur, quæ ad tractatum bonæ fidei proferemus. Et bona fides in proposito hæc est, *vt qui sub condicione rationum reddendarum quid habiturus est, docere debeat, constare fidem omnibus, quæ ab eo gesta sunt: vt neque subtraxerit quid ex his, quæ acceperit, neque exspensum rationibus perscripserit, quod non dederat. sed & quod reliquum per contextum scriptum est remãsisse apud eum soluere debet.* d. l. Cx1. D. de cõd. & dem. Abesse omnis fraus, & mala ratio, malúmque consilium ab

hac rationum editione, redditione, & reliquorum solutione debet. quæ exemplis adiunctis leguntur in d. l. qui filium. de ma.te in d.l. Sticho. in prin. de statul. in l. 4. C. de tes. ma. Ast paragraphum tertium recito suis verbis ex l. Sticho. Ait Scæuola, *Seruus testamento ita manumissus est,* STICHVS SERVVS MEVS ACTOR SI RATIONEM OMNEM ACTVS SVI HEREDI MEO REDDIDERIT, EÓQVE NOMINE SATISFECERIT, LIBER ESTO. *quæsitum est, an si rationes, quas egit per multos annos sine subscriptione testatoris, hæredi reddere paratus sit, liber ex testamento fiat: cum propter grauem valetudinem testator non potuerit rationibus subscribere, testamento tamen subscripserit. respondit, si ex fide ratio redderetur, reliquáque inferantur, liberum fore.* Non est scilicet satis ea testatoris subscriptio, & constare de actoris fide certiùs debet. nec. n. defectum tot singularium subscriptionum vna & generalis, & loco non suo posita sarciet: quando etiam ipse testator, dum rationem omnem reddi heredi iubet, eóque nomine satisfieri, subscriptioni huic suæ non adquieuisse videtur. Sequitur I. C. *Itẽ quæro, an ea, quæ exacta sunt per adiutores eius,*

eius, neque calendario illata sunt, aut fraudolenter acta, huic adscribi possint, cum esset is præpositus. respondit, si id esset, quod culpa eius deberet imputari, spectare ad rationis reddendæ necessitatem. Vt namque culpę dari possit nostræ, nostrum aliquod factum, aut negligẽtia intercedat, necesse est. nec quia præpositus, ilico & culpæ reus. Et non adiutores hos sibi actor ipse sumpsit. Pergit. *Item quæro, an eorum quoque nomine ratio haberi debeat, quòd neque a cõductoribus prædiorum, neque a villicis pensiones exegerit, & insuper etiam promutuum eis dederit. respondit, supra responsum est.* id est ratio haberi debet, si quid imputari culpæ eius potest. alioqui pensionum exactio non facta esse & sine culpa ipsius optimè potest. neque promutuum villicis dare, culpa est, sed diligentia sæpe. Restat alia species. inquit *Item quæro, an eo nomine teneatur, quòd omnem rem suam, id est, peculium exportauerit, antequam rationes redderet. respondit, nihil eam rem impedire condicionem, si modò ratio redderetur.* Et ita condicionem non impedit, quod rationes nec attigit. Non durè cum ipso administratore agendum docent interpretes. itaque & admittendos sumptus

bona

bona fide factos. non in quauis minima ſumma probationes exigendas tradunt, atque exſcribit Menochius, & nos hîc in tractatu bonæ fidei collocamus benè. Et verò cum hæc ita ſint, totúmque hoc negotium confici ex bona fide debeat, illa certè arbitrij adiectio nihil adjiciet, quam in caſu videmus l. hæc venditio. 7. D. de contr. empt. Et id fortè præbuit dubitandi occaſionem, vt de arbitrio domini acciperetur, quia ſuperflua aliàs eius nominis adiectio foret. quo tamen argumento nequidquam obſtante, contrarium ratione longè omnium potentiſſima definitum eſt. Et quidem ſuperuacua multa admitti hominum dictatis cognoſcimus, & adnotauit Bello. lib. 2. ſupp. c. 18. Diximus de adiecta reddendarum rationum condicione. Quid ſi liberetur quis eo onere? Seruus vt liberetur ipſo iure, ſi manumittitur, declarat pulcrè l. 17. 18. 19. 45. D. de neg. ges. l. 52. D. fam. erc. l. 19. 37. D. de fid. lib. l. 34. D. de lib. ca. cum pluribus alijs, & ſingularis tit. Cod. an ſer. pro ſuo fact. poſt ma. te. & egregia ſpecies notata Azoni. C. de pet. hered. num. 19. Ego de alijs dico, qui voce teſtatoris, alióue hominis iuſſu liberationem iſtam conſequuntur.

Et

Et alij liberati a rationibus reddendis certè non a dolo liberati sunt, sed bonam fidem præstare debent. l. 6. quidam. §. Iulian°. l. qui plures. 41. de adm. tu. l. 8. §. 1. 6. D. de lib. leg. Et verum hoc adeo est, & quod mox dicemus de reliquis; vt nec talis liberet liberatio, *Volo præstari ei totum, in quod contigerit condemnari.* alij & Dec. cons. 179 349. 418. Angelus tamen sibi contrarius nominatur: & ad dolum præsumptum quod attinet, eius sententia nec a Decio spernitur; sed de vero dolo non tenetur. Illud singulare est, quod ista liberatio facit vsufructuarij fructus etiam ante præstitam cautionem. Dec. cons. 607. Reliqua & ipsi reddere debent. l. 9. 12. 24. §. 4. l. vlt. §. 1. 2. eo. tit. & peculium, & si quas habent dominicas res, & si colonus sit, & quid pẽsionis debet. l. 23. dominus. in fi. D. de pecul. leg. Scrupulosa inquisitio tantùm remissa est, & vt negligentiæ ratio non habeatur, sed tantùm fraudium. l. si seruus. 119. de leg. 1. Culpa etiam remissa est. d. l. qui plures. vbi pulcrè quod non est tamen quoad alios remissa, qui aliàs solliciti de illius culpa esse debebant. Sic neque liberatus contutor videtur, & si tutor liberatus sit ita, RATIONEM TVTELÆ MEÆ,

QVAM

QVAM EGIT P. MÆVIVS CVM L. TITIO, REPOSCI AB EO NOLO.

l. vlt. §. 2. D. de lib. leg. Cur verò vt iussus reddere rationes tenetur & ad reliqua, ita iussus non reddere, non tenetur ad reliqua? si rationes reddere nihil est aliud, quàm reliqua reddere, cur liberatus a reddendis rationibus, non est a reliquis reddendis liberatus? Cauſſa diuersa est. nam iussus reddendarum rationum inanis & nihili, si reliqua non reddantur: at liberatio haud inanis, etsi reliqua redduntur. Additur, quod nec verbum reddendi videtur tanti penitus esse, vt reliquorum nomen prorsus includat. itaque a reddendis rationibus liberatus, non propterea & a reliquis soluendis dici liberatus potest. Nunc videndum est, cuius temporis rationes reddi oporteat. Et certum est, reddi debere totius temporis, quo quis administrauit. Sed quid in hac specie? Cupitum seruum meum cum filius meus sedecim annos impleuerit rationibus redditis liberum esse volo. post mortem testatoris tutores Cupito exactionem commiserunt. an & huius temporis rationes reddet? respondit Scæuola, Cupitum condicioni

ratio-

rationis reddendæ ita videri paruiſſe, ſi ſi omne ex eo, quod geſſit, & rectè deſiderari poteſt, reddiderit. d. l. Thaiſ. §. libertatem. igitur & huius temporis rationem reddet, quod ſecutum eſt teſtatoris mortem, & quidem ad condicionem implendam, etſi de eo fortè non cogitarit teſtator. ſed ratio eſt, quia aliàs horum rationem non redderet liber factus: atque id teſtator nollet. igitur & ex mente teſtatoris adiecta condicio iſtud quoque tempus reſpiciet: quando nec aliter reſpondiſſet teſtator, ſi interrogatus de re iſta fuiſſet. immo videtur etiam hoc tempus cogitaſſe, cum rationes reddi voluerit filio annum agenti decimũ ſextum, neque ab adminiſtratione interim ceſſare Cupitum iuſſit. Et ita in eandem ſententiam idem I. C. in eadem l. in §. 8. AB HEREDIBVS MEIS PETO CVM FILIVS MEVS SEDECIM ANNOS IMPLEVERIT, STICHVM RATIONIBVS REDDITIS MANVMITTANT. *Quæro, an eundem ſeruum teſtator in diem vſque pubertatis filij ſui actum agere voluerit. reſpondit, manifeſtum eſſe, teſtatorem huius quoque actus rationem a Sticho reddi voluiſſe.*

Obſer-

QVAM EGIT P. MÆVIVS CVM L. TITIO, REPOSCI AB EO NOLO.

l. vlt. §. 2. D. de lib. leg. Cur verò vt iussus reddere rationes tenetur & ad reliqua, ita iussus non reddere, non tenetur ad reliqua? si rationes reddere nihil est aliud, quàm reliqua reddere, cur liberatus a reddendis rationibus, non est a reliquis reddendis liberatus? Caussa diuersa est. nam iussus reddendarum rationum inanis & nihili, si reliqua non reddantur: at liberatio haud inanis, etsi reliqua redduntur. Additur, quod nec verbum reddendi videtur tanti penitus esse, vt reliquorum nomen prorsus includat. itaque a reddendis rationibus liberatus, non propterea & a reliquis soluendis dici liberatus potest. Nunc videndum est, cuius temporis rationes reddi oporteat. Et certum est, reddi debere totius temporis, quo quis administrauit. Sed quid in hac specie? Cupitum seruum meum cum filius meus sedecim annos impleuerit rationibus redditis liberum esse volo. post mortem testatoris tutores Cupito exactionem commiserunt. an & huius temporis rationes reddet? respondit Scæuola, Cupitum condicioni

ratio-

rationis reddendæ ita videri paruisse, si si omne ex eo, quod gessit, & rectè desiderari potest, reddiderit. d. l. Thais. §. libertatem. igitur & huius temporis rationem reddet, quod secutum est testatoris mortem, & quidem ad condicionem implendam, etsi de eo fortè non cogitarit testator. sed ratio est, quia aliàs horum rationem non redderet liber factus: atque id testator nollet. igitur & ex mente testatoris adiecta condicio istud quoque tempus respiciet: quando nec aliter respondisset testator, si interrogatus de re ista fuisset. immo videtur etiam hoc tempus cogitasse, cum rationes reddi voluerit filio annum agenti decimũ sextum, neque ab administratione interim cessare Cupitum iussit. Et ita in eandem sententiam idem I. C. in eadem l. in §. 8. AB HEREDIBVS MEIS PETO CVM FILIVS MEVS SEDECIM ANNOS IMPLEVERIT, STICHVM RATIONIBVS REDDITIS MANVMITTANT. *Quæro, an eundem seruum testator in diem vsque pubertatis filij sui actum agere voluerit. respondit, manifestum esse, testatorem huius quoque actus rationem a Sticho reddi voluisse.*

Obser-

Obſeruandnm verò hîc eſt, quod non reſpondet, Scæuola, an ſeruum teſtator actum agere voluerit: id quod verbis conſultationis quęrebatur: ſed quod eius actus reddere rationem voluerit. Aſt hoc omnino ex illo ſuppoſito ducitur. & illud ſupponitur, quoniam redditio rationum aut inter adminiſtrandum, aut finita certè adminiſtratione fieri ſolet. itaque cum ad illud filij pubertatis tempus ea differatur, manifeſtum eſſe poteſt, & ad tempus illud voluiſſe teſtatorem ſeruo adminiſtrationem prolatam. atque ita I. C. reſpondet breuiter & ad conſultationem, & ad verba teſtamenti, & ad id, quod extremum quæſtionis eſt. ſiquidem non eſt in eo totum, quod voluerit teſtator, ſeruum agere actum. & quæri rurſum poterat, ſi & huius actus reddere rationem voluerit. quod videre ex præcedentibus licet. Sequitur exponere, cui reddi rationes oporteat. Hæredibus ſunt reddendæ. l. Labeo. 21. D. de ſtatul. At ſi nomina quorundam ſint in condicione poſita, quibus reddentur? Quoad reliquorum reſtitutionem habemus l. 12. ſi quis. eo. tit. *Si quis teſtamento libertatem acceperit ſub condicione*, SI RATIONEM DEDERIT: *debet pro hereditaria*

parte

parte reliqua ſoluere, etiam ſi nomina quorundam heredum ſint in condicione poſita. ita Iulianus. Sed an etiam his qui ſunt ſub condicione ſcripti? Certè non. Purè ſcriptis rationes reddentur, & reliqua pro ipſorum partibus hereditarijs omnia. nam adueniente alijs poſita condicione, certum eſt, ſatisfactum ipſis iri a purè ſcriptis. Sed quid ſi non ſint ſub condicione heredes ſcripti, at abſint? *Priſcus reſpondit, ſtatuliberum non vtique ibi, vbi pater ſ. deceſſit, aut vbi ipſe relictus ſit, aut vbi velit, rationes reddere debere: ſed interim proficiſci ad eum, cui reddere debeat. vtique ſi is reip. cauſa aberit. veriſſimum eſt autem, vt aliàs aliud ex perſona, locóque ſit æſtimandum.* l. pe. in fi. D. de cond. & dem. & Iulianus ait, *Si Sticho libertas data fuerit ſub condicione,* SI RATIONES REDDIDISSET, *& is abſente herede paratus ſit reliqua ſoluere: prætoris officio continetur, vt virum bonum eligat, cuius arbitrio rationes computentur: & pecuniam, quæ ex computatione colligitur, deponat: atque ita pronunciet libertatem deberi. Hæc autem fieri conueniet, ſi heres ex iuſta cauſa aberit. nam ſi latitauit, ſatis erit liquere prætori, per ſeruum non ſtare, quominus condicioni pareat.* l. 47. ſi pater. §. 2. D.

de. fid. lib. & vltimam hanc partem latisſimè nos executi ſumus lib. 2. de condic. Sed quid ſi venditur iſte ſeruus? *Sciendum eſt eas condiciones ad emptorem tranſire, quæ ſunt in dando: ceterùm quæ ſunt in faciendo non tranſeunt. rationum autem reddendarum condicio, quod ad reliqua quidem attinet, in danda pecunia conſiſtit: quo autem ad ipſa volumina rationum tradenda, percontandáſque & examinandas rationes, & diſpungendas, atque excutiendas factum habet. Ergo reliqua quidem & emptori dando perueniet ad libertatem: cetera in perſona heredis conſiſtent.* ita Vlpianus in l. 6. §. vlt. D. de ſtatul. Quid ſi pupillus? quid ſi adoleſcens hæres eſt? Hæc libro ſecundo de condicionibus expoſuimus. Hîc reſtat tantùm vt aliquid de officio iudicis dicamus; quod toto hoc in negotio verſari videtur: vt ex ſupradictis apparet. Is controuerſias componet. l. ſi cui. 50. D. de cond. & dem. vbi notandum, quod non conſulum munus fuit eum iudicem dare, ſed *permiſſum* illis ab imperatore, vt tum darent. notandum, ne vel a Caſtrenſis ſomnio ibi decipiamur, qui de voluntaria iuriſdictione legem accipit:

vel

vel ab Hotomani terreamur contumelijs, qui in tit. D. de off. Cons. contra compilatores ait, *O ieiunam consulatus explicationem*. non enim erat id muneris consularis. vt nec rectè vel ad iura Digestorum Hotomanus exclamet, nam iure nouissimo nec illa sunt consulis, quæ scripta in eo titulo sunt. Arbiter ad rem præsentem, sed non a consule petebatur. l. vix certis. 53. D. de iudi. l. 5. D. de manum. l. 47. si pater. §. 2. D. de fid. lib. Intenueniet arbiter si de facta mora quæstio sit: si de computatione: si de aliquo tempore: si de loco: si alia de re qualibet. dd. ll. & l. 34. seruus. in fi. l. Sticho. 40. §. Titius. D. de statul. & post alios Menoch. d. cas. 209. Atque liberatione a reddendis rationibus legata, quatenus ea præstanda sit idem cognoscet. l. Aurelius. 29. §. filias. de lib. leg. quod etiam in patre liberato retinet Menochius, etsi alij hunc absolutè, ad reliqua quod attinet, liberatum intelligant: immo etiam & matrem, & patruum. ast ego cum Menochio sentio. nam inquit Scæuola, *eum, cuius notio est, æstimaturum*. d. l. Aurelius. §. Titius. nec nocet quod sequitur, *præsumptio. n. propter*

naturalem affectum facit omnia patri videri conceſſa, ni ſi aliud ſenſiſſe teſtatorem, ab heredibus eius adprobetur. nam ſe ilico non corrigit I. C. & illa præſumptio tantùm facit videri conceſſa, non etiam conceſſa probat. id iudex æſtimabit, cui & videri debet, hinc præſumptionem, ilinc hæredum probationes cenſendo. præſumptionem ipſam cenſebit, & ſummam, de qua agitur, & filii reſiduas facultates, & conſilium, & id genus alia. A dolo patrem non liberari, & a debitis propter dolum contractis, tradit etiam Alciatus de præſ. reg. 1. præſ. 6. vbi & eorum opinionem refutat, qui idem in tutore liberato, quod in liberato patre decreuerunt. Omnibus demum abſolutis rationes redditæ non retractabuntur. l. ſemel. C. de apoc. lib. x. ídque certius eſt, ſi vnà interceſſerit abſolutio, & pactum de non contraueniendo: nam prætextu ſolius erroris iam iterum non reddentur. & certius longè, ſi iuramentum quoque adſit: nam & minorem hoc obſtringit. Quod ſi dolus verus oſtendatur, retractari, conſequens eſt. fundata tamen eſt ſemper intentio habentis calculum, & magis grauabitur contradicens, & clariorem adferre probationem debet.

debet. Quæ omnia ex aliis accepta,& cõfirmata tradit Menochius d. caſ. 209. & Dec.conſ.94. in caſu. Decius & illud ſingulare habet, quod prælati non ita diligenter exigere adminiſtrationis rationes debent,vt veri domini exigunt. Adi illum conſ.6.

SI PROMERVERIT

ISTam condicionem implere videntur, qui non offenderint. ita. n. Africanus in l.20.D.de ma,teſt. *Seruos legauit, & cauit ita.* ROGO, SI TE PROMERVERINT, DIGNOS EOS LIBERTATE EXISTIMES. *Prætoris hæ partes ſunt, vt cogat libertatem præſtari: niſi ſi quid tale hi ſerui admiſerint, vt indigni ſint, quo libertatem conſequantur: non etiam vt talia officia ab his exigantur, pro quibus libertatem mereri debent.* Atque idem dixerat Papinianus in l.teſtamento. Si,eo.tit. Et idem in iſta, SI BENE SE GESSERIT IN RATIONIBVS. reſpondit Scæuola in l. teſtamento.18.D.de fid.lib. Non infrequens

condicio: quam & Aristotelis testamento positam legimus apud Laertium. Eorum (dixit Aristoteles) puerorum, qui mihi famulantur, nullum vendi volo. cum verò adulti erunt pro merito dimitti liberos volo. Sed quę ratio, vt illo modo merendi verbum accipiant iurisconsulti? Meruisse videtur (inquit Bartolus in d.l.20. & ante Bartolum glossator) qui non demeruit: hoc est, qui non malè meruit. Demeritorum Italicismus Bartolo imposuit: an & exemplo verbi Depecisi defendetur, quod est turpiter pacisi. l.3.§.1. D. de calum. & verbi Deiero, similiumque, quibus præpositio DE non auget, sed significat malè, & minuit. est tamen deierare & non malè iurare. l.21.§.2. D. de noxal. Lact. lib.1 c. xi. Gell. lib.15. c.6. Et demerere est valde merere. l.x.§. proinde de leg. 3. & notat Alc. lib.1. dispunct. c.14. atque benè de re ista tractat frater meus Scipius libro primo Parergorum. Nos de nostra condicione. Ego illam in seruis tantùm accipi eo modo volo. Et tum ratio definitionis fuerit, quia imperare cum dominus possit, stare per ipsum videtur, si seruus non promeretur. Item quia cum seruus necessariò agat, meritum

quod

quod assequetur? Necessitas meritum non habet. l. vlt. D. si a par. quis fue. ma. Fortè & quia inæstimabilis censetur libertas, promerere eam seruus non possit? hanc videtur Africanus sensisse, dum ait, *non etiam vt talia officia exigantur, pro quibus libertatem mereri debent*. Ex his rationibus, quæ tantùm in seruis obtinent, addito & fauore libertatis, Africani, Papinianique responsa in seruis (vt dixi, & ipsa loquuntur) solùm accipio. quicquid neminem mihi auctorem huius interpretationis sciam. Et verò rem pleniùs examinando, quæro, cur meruisse videtur, qui non meruit malè? Num merita præsumuntur? Minimè. Alc. reg. 1. pres. 16. & leges expressè dicunt libertatem deberi, etsi merita non extent. An pares istæ conditiones, SI PROMERVERIT, SI NON OFFENDERIT? id glossarius dicit in d. l. fideicommissa. §. proinde. Ceterùm id contra sermonis proprietatem esse, nemo non videt. quin immo & repugnat apertè d. §. proinde. qui ait, *si modò meritum collocare fideicommissarius potuerit*. Requirit meriti collocationem Vlpianus per illam condicionem, SI TE

DEMERVERIT: quæ collocatio non est tantùm non offendisse. Atque quod coniungantur, id est, non ratione implementi, sed adprobationis. hoc est, si vir bonus meritum admisisset, si vir bonus offensus nam fuisset, legatum debebitur. Non etiam pares condiciones in eo, quod quærimus, probat Scæuola in d.l.testamento. non benè gessisse rationes rectè dicitur, cum vllę quærelæ locus non sit. at non rectè merita intercessisse dicemus, si modò immerita absint. In liberis igitur hominibus, quibus datum aliud est, sub ista condicione, SI MERVERINT, ita docendum opinor, vt meruisse ostendant. Et hæc nostra sententia adhuc confirmatur ex l.cum pater.§.rogo. de leg.2. ROGO, FILIA, BONA TVA QVANDOQVE DISTRIBVAS LIBERIS TVIS, VT QVISQVE DE TE MERVERIT. *Videtur omnibus liberis, etsi non æqualiter promeruerint, fideicommissum relictum. quibus matris electione cessante sufficiet, si non offenderint. eos autem quos mater elegerit, fore potiores, si soli promeruissent, existimaui. quòd si neminem elegerit, eos solos non admitti, qui offenderunt.* Quid clarius, vt differat non offendere a promerere? Non requiruntur

æqualia

æqualia merita ad implendum istam condicionem. SI PROMERVERIT. Hoc primùm. igitur merita requiruntur. Quod si mater non eligat, quibus pro merito det, omnes admittuntur, qui non offenderint. Hoc secundò. Si itaque ista interpretatio habetur matre tantùm non declarante, omnino idem non est dicere, SI PROMERVERINT, & SI NON OFFENDERINT: nam semper satis foret, non offendisse. Quod verò matre non declarante adsumatur ea interpretatio, ratio est, quia fidei commissum perire ex hoc matris facto non debet. Et ea mortua constare de meritis filiorum non benè possit, quoniam res hæc est, quæ ad matris animum maximè pertinebat. arg. l. XI. §. 1, D. de iniur. Sequitur, *Eos, quōs mater elegit, fore potiores, si soli promeruissent.* at si idem esset promerere & non offendere, merita electorū non fuissent attendenda: satisque fuisset dicere, Si soli non offendissent. item alij non electi æquè cum electis, qui soli promemerint, venirent, si tantùm non offendissent. quod nemo diceret. Et sanè pares non esse istas condiciones, illud etiam Ciceronis in Antonium docet, *Quod est aliud beneficium latronum, nisi vt commemorare possint, ijs se dedisse*

disse vitam, quibus non ademerint? Philip. 2. & nos, Quod hoc meritum est, affirmare posse, se eos offendisse numquam, de quibus debuit benè mereri? Non satis est sibi a nocendo temperare, sed & benè facere incumbit. Vltimum, quod in lege nostra dicitur, est, quod si neminem elegisset mater, ij soli non admittantur, qui offenderunt. Quæ est conuersa definitio secundæ: aut proba potiùs explicatio dubitationis, quæ nasci potuerit ex eo, quod nec offensæ attendi debeant matre non eligente, eoque quasi offensas remittente. Ceterùm vt vidimus pares non esse illos, qui non offenderint, ijs, qui benè etiam meriti sunt: ita nec pares habebuntur non offendentibus offendentes. & de iudicio matris constare certiùs debet. En & Iacobus Cuiacius cæcutit, dum istas condiciones in fideicommissis etiam pecuniarijs æquales facit per istum. §. rogo. Adi eius ad Africanum tractatus in. d. l. 22, de ma. te. Vbi & illud ineptum habet, in quærela inofficiosi meritorum fieri æstimationem. & tamen satis, si immerens non est, qui quærelam mouet. l. 5. D. de inoff. te. l. 22. C. eo. Hoc est merere? Merita requiruntur in condicione nostra: sed non æqualia, quoniam

niam & qui minus promeruit, non promeruisse, dici non potet. nec certa taxatio meritorum facta est. Merita requiri in.d. §. rogo. etiam Bartolus, & Castrensis docent. Quæ igitur merita satis? Et inquit Paulus, multa incidere merita posse, quæ exequi longum esset. l. 15. D. de ma. vi. additque, eum æstimaturum, apud quem ea de re agitur. & idem tradit Vlpianus in.d. §. proinde. & relatione habita ad bonum virum rem hanc æstimari totam oportere: id est, si merita apud virum bonum potuerint collocari: si vir bonus meritum potuit admittere; merita ad implendam condicionem extitisse, pronunciandum est, nihil demorato, quod is iudicet aliter, cui condicio adimpletur: si quidem & homines sunt, quos demereri nullo pacto possis; & omnes verisimiliter inficiabuntur, quod sibi incõmodũ credent. nec iudex in propria quis causa esse debet. Sic & Scæuola viri boni arbitrium inducit ad eam condicionem, SI PLACVERINT. l. Thais. §. 3. D. de fid. lib. Et ego istam non dissimilis facio definitionis a nostra, SI PROMERVERINT. Idem arbitrium (vt dictum est) adhibetur ad alteram, SI NON OFFENDERINT. Et tamen certæ quędã offensę

offensæ notantur in.d.l.51.in fi.D.de ma. testa. quæ scilicet sic sunt sustinendæ, nisi sequentia merita & eas tollant.l.5.C.fam. erc. aut offensam clementia hæres flexit, vel ad animum non reuocauit. d. l. 5. &.l. non solùm. D. de iniur. De offensis, & in proposito condicionis vide Bar. in.l. cum pietatis. C. de inoff. testa. Nos cui similem facimus illam aliam, SI DIGNOS PVTAVERIS. Petere posse (ait Marcellus) qui non offenderint.l. cum quidam. 24. de leg. 2. Patet igitur, cui similis. non illi, SI PROMERVERINT. Cauendũ tamen est, quod ea Marcelli definitio procedere videtur, si nulli electi sunt; itaque similis immo nostræ sit. Et vt indignos eligere grauatus nequit; & si eliget, nec electi indigni veniunt, & ipse elector se eo eligendi iure priuat, quia digni admittuntur: tamẽ eligi ex dignis quosdam posse, etiam dignioribus prætermissis, omnes interpretes docent. Qua de re, cæterisque ad electionis argumentum spectantibus, eos videri volo. nam ista communiora sunt, quàm vt in præsens referri commentarium debeant. Quod proprium condicionis restat, est, vt viuo grauato nunquam peti fidei commissum possit, quod istam condicionem

nem habet, SI PROMERVERINT, & Iam, SI NON OFFENDERINT: quia eo viuo ſemper fieri contra condicionem poteſt. vt ſcribit Caſtr. in.d.§. rogo. Id tamen non eſt in caſu. l. Thais. §. 1. de fid. lib. quia & illa adiuncta ſunt, NE ALTERIVS SERVITVTEM SERVIANT, QVAM TVAM. atq; eam ſeruire non poſſunt, niſi illo viuo. igitur tempus mortis non expectatur. Diuerſum in ea, SI DIGNOS: nam ſtatim fieri electio debet, aut omnes admittentur. d.l. cum quidam. Idem in illa, SI PLACVERINT. d.l. Thais. §. 3. Iſtæ namque deliberationes non coguntur in ſuſpenſo eſſe: etſi habitæ mutari poſſent.

SI QVID ACCIDERIT.

SI *quis ita in teſtamento ſcripſerit*, SI QVID FILIO MEO ACCIDERIT, DAMAS SERVVS MEVS LIBER ESTO. *mortuo filio Damas liber erit. licet .n.*

acci-

accìdant & viuis, ſed vulgi ſermone etiam mors ſignificatur. Ita Pomponius in.l.*162.* in vulgari. D. de ver. ſign. Hic vulgi vſus multis locis librorum noſtrorum, aliorumque auctorum probè conſtat. Adi ad. l. vxorem. 41. §. Seium. de leg. 3. l. 25. in prin. ad Treb. SI QVID HVMANITVS CONTIGERIT. Inſt. de donat. l. Publia. depo. l. 30. §. 2. & vlt. D. de adi. leg. & Cic. Philip. 1. ET SI MIHI PER CONDITIONEM HVMANAM CONTIGERIT. l. 38. D. de au. & arg. leg. inde deductum ſignificat, Si non ante moriar. In. l. 7. C. de don. an. nu. SI QVA SORS EXTITISSET, verba etiam mortē ſignificare videntur. Sic & Traianus Neratio, COMMENDO TIBI PROVINCIAS SI QVID MIHI FATALE CONTIGERIT. *Senatui commendauit,* SI QVID EI EVENISSET. inquit Spartianus. Sic in teſtamento Epicuri, SI QVID HVMANVM CONTIGERIT. in teſtamēto Ariſtotelis, in teſtamēto Theophraſti, SI QVID CONTIGERIT. in teſtamento Stratonis, SI QVID SINISTRE CONTIGERIT. & cætera, vt per Laertium in vitis Philoſophorum. Et Cicero lib. 1. Tuſc. *Anaxagoras quum moreretur, quæren-*

rentibus amicis vellet ne in patriam, si quid accidisset, afferri, &c. Et Paterculus lib. 2. *Marcellum, si quid accidisset Cæsari, potentiæ eius successorem arbitrabatur.* Et Suetonius in Aug. in fi. *Iuliam filiam, neptemque, si quid his accidisset, vetuit sepulcro suo inferri.* Et Thucidides lib. 4. *si quid paterentur* in hanc eadem mortis significationem dixit. Aſt quid agimus? Fornerius adhuc plures locos notauit ad d. l. 162. Ego verò & obſeruaui; & ad eãdẽ legem referebam, dum cõmentarium cogito ad illũ titulũ. Conſtat igitur de hoc vſu: nec vulgi ſolùm, ſed & doctorum, contra quàm Alciatus exiſtimauit. Et non eſt hîc vulgi nomen quaſi vulgarium hominum, ſed vſitatè loquentium & communiter. Sic in l. cum ſeruus. §. ſcio ex facto. de leg. 1. l. 22. mand. l. ſi poſtumus §. quod vulgo. D. de lib. & poſt. & in alijs pluribus. Eius autem vſus ratio eſſe poteſt, quòd veteres mortis mentionem valde vitarunt. vt Ioſephus Scaliger ad Varronem, & ad Feſtum ſcripſit: & ego ampliùs quadraginta locis ex Codice oſtendere poſſem, ſi labor iſte aliquid vtilitatis haberet. Si igitur verba, quæ ex vſu, congruunt interpretationi ſupradictæ,

ſupradictæ, & mens loquentis adheret, non poteſt, non bona eſſe Iuriſconſulti interpretatio. Et verò mens adeſſe debet, quoniam verba non magis ad mortem, quàm ad vitam referuntur. *Etiam* mors, inquit Iuriſconſultus, ſignificatur. Et vita igitur : nam & viuis accidit. & ſic Vlpianus, *Irritum fit teſtamentum, quotiens ipſi teſtatori aliquid contingit.* l. 6. §. 4. D. de iniuſ. te. At ego rurſus ſimilem laborem non ſubeo. Quod ſi quis me præcepta de ea mente diſpicienda roget; dico, facti quæſtionem proponi. In d. l. 126. omnino mors ſignificabatur, quia aliter condicio non eſſet, cum aliàs aliquid accidere neceſſe ſit. Sic condicio SI SINE HEREDE coacta ad certum quendam heredem eſt, quoniam cum nemo ſine herede aliquo moriatur, ſi de quolibet herede verba acciperentur, condicionem nullam haberent. Vel ilic mors ſignificatur, quia qui eſſet aliàs caſus ille, explicari vix, & fortè nec vix poſſet. Ait Alciatus, de morte verba intelligi, quòd propter generalitatem nullius alioqui momẽti eſſent. Quid verò ſi pro *etiam* legimus *tamen*. Eædem, vna excepta, litteræ omnes. & illa vna ferè eadem. Eſt & in quibuſdam verbum *tamen*,

men, etsi nec desit *etiam*, nec positum illud sit, vbi nos vellemus, sed ante verbum *vulgi*. Quid si hoc verbum *etiam* dicemus abundare? Succurrit aliquid simile ex. l. 98. qui res. §. si seruus. D. de solut. Quid si non sit hîc dictio implicatiua, sed simpliciter adfirmans? Et in hoc exempla notantur. Et capi solet pro *maximè*. *tantùm*. similibus: vt per Bar. in extrau. ad reprim. Aliquid verò huiusmodi cuperem, quia pleniùs tum probatum, quod adserit I. C. Recurrendum alioqui ad mentem est: vt modò fecimus. Sed an & mors ciuilis sufficit? Et Baldus de ea sentire contrahentes non arbitratur. quod Alciatus recenset. Sed an alij sentiunt? Mortis nomine an ciuilis etiam veniat, latè interpretes tractant ad. l. Gallus. §. et quid si tantùm. D. de lib. & post. & nos ilic dicemus, vbi exponetur de condicione SI MORITVR. Præsentem hanc SI QVID ACCIDERIT nec in contractibus, nec in testamentis de alia, quàm de naturali morte acciperem; quia vulgi sermo, quo hæc nititur interpretatio, naturalem tantùm spectare videtur. quod tamen ex his, quæ gesta sunt, non verum esse potest. & verba, & occasiones, & tractatus, & personæ, & in sum-

ma negotium totum, quod est præ manibus, & eius adiuncta omnia considerare diligentissimè decet.

SI POTVERINT.

EX proprietate in potentia verificatur. at contra est, & actum requirit in l. 3. §. si quis sic. D. de statul. *Si quis sic acceperit libertatem*, CVM DECEM DARE POTERIT, LIBER ESTO: *Trebatius ait, licet habuerit decem, vel idoneus fuerit ad acquirendum, & conseruandum peculium, tamen non aliàs ad libertatem peruenturum, nisi decem dederit; aut per eum non steterit, quominus det.* Et ratio est, quia illi testator consultum vult, cui dari vult: & id per solam potentiam dare debentis non contingit. Quod si ille respectus non sit, vtique nec a verbi proprietate discedemus. atque ideo quod hîc Oxonij collegiorum legibus cauetur, vt qui certam annuam summam expendere potest, is in

collegio non habeatur, de sola expendendi potentia rectè capitur. Item istã condicionẽ, CVM NVBERE POTVERIT, nubilibus annis impleri volumus. nec obstabit l. 24. C. de nupt. quæ de ipsis nuptiis, atq; ita de actu, non de potentia nubendi loquitur. Ceterùm videndum est, ne & nostra condicio ipsum etiam factũ requirat. quid enim si maturæ mulieri, hominique puberi adiecta sit? Vtique ætatem non significabit, nisi si illam ignoret testator. quid etiam si res ipsa actum requirat? Finge ita dictum, CVM NVBERE FILIA MEA POTVERIT, DOTI ILLI ERVNT DVCENTA. Certè, si non nubat, legatum non debebitur, quia non est dos sine matrimonio. Implebitur facultate sola etiam hæc, CVM RES SVAS ADMINISTRARE POTVERIT. Et legitima ætate adueniente, aut alio impedimento cessante, quod ius administrandi impediebat, & de quo actum existimabitur, condicio expleta erit. quod glossarius etiam notat in l. vlt. D. de cond. & dem. & Castrensis pulcrè. Atque legitima ætas erit annorum viginti que. nam etsi (inquit Castrensis) post pupillarem ætatem administrare possit, & contrahere: quia tamen

restitui potest, non dicitur cum effectu posse administrare. Item nec dicitur iuxta condicionem res suas administrare posse, qui ætatis veniam impetrauit: quia de ficta ista ætate testator cogitasse non creditur. l. vlt. C. de his, qui ve. æt. imp. & glossarius & Castrensis eodem loco tradunt. Sed quid in ista? CVM POTVERO, DOTIS FILIÆ MIÆ TIBI AVREI TOT. Declarat Proculus in. l. nepos. 125. D. de ver. sig. *Existimo* (inquit) *ad id, quod actum est, interpretationem redigendam esse. nam qui ambiguè loquitur, id loquitur, quod ex his, quæ significantur, sentit. propius est tamen, vt hoc eum sensisse existimem, deducto ære alieno potero.* Deducto ære alieno potero. ait Alciatus, ad æs alienum quod attinet, contrarium statuendum fuisse, quia nec beneficium, vt in id tantùm quod facere socer potest, ex dotis promissione conueniatur, eò se extendit, vt & æris alieni deductionem habeat. l. sunt. D. de re iud. Sed nos ex vulgato iure respondemus, fortiùs sibi suum, quàm legis auxilium cuiq; prodesse solere. Mouet alterum argumentum Alciatus, quia in dubijs pro dote, quam & solui integram publicè interest. Ceterùm & hoc tollitur, si consideratur

ratur, quod æs quà se alienum profert, eà vix dici nostrum aliquid valet, cum extorqueri illud totum a nobis possit. itaque nec dicemur posse nisi de eo, quod ære alieno deducto supereſt. Et verò quod ambiguam eam orationem Proculus notet, id non est, quia significare palam nihil huiusmodi queat, sed quòd & hoc de ære alieno, & alia significare apta sit. nam alieno, cũ ære quí posse intelligemur? Etiam mortem consciscere sibi aliqui possunt ære pudore alieni. l. in fraudem. §. 2. D. de iu. fis. Interim dotis fauore deducta est huc interpretatio ambigui, vt de vno tantùm ære alieno condicio accipiatur, quæ & de alijs pluribus, maioribusque accipi etiam potest. Hoc contra Alciatum, & pro sententia iurisconsulti dico, non esse in illis verbis ambiguũ, aut dubium, num quid quæsitum promittenti per ea sit; sed ambigi quid posse, quale, quantum. Et miror sanè Alciatum non libenter in sententiam reliquorũ interpretum transire, qui istam cõdicionẽ sic explicatam a iurisconsulto credunt, vt æs alienũ deduci debeat. nam verba legis perspicua sunt; & contrariæ ipsius rationes nihil valent. In eo ipsi assentior, quod par ista condicio non sit illi, CVM

COMMODVM ERIT. Et ipse Proculus hoc ostendit, *Potest etiam illa accipi significatio, cum salua dignitate mea potero. Quæ interpretatio eò magis accipienda est, si ita promissum est*, CVM COMMODVM ERIT. *Hoc est, cum sine incommodo meo potero. Potest*, inquit *accipi*. Sed an debeat, an propius sit, vt accipiatur, id non dicit: aut immo negat, qui dixerat, propius esse, vt deducto ære alieno accipiatur. Et id propius dicit, vt altera hęc interpretatio magis in altera condicione adsumatur. Itaque prior alteri par non existat. Et quidem de priori licet sentiam, vltra æris alieni deductionem nihil aliud per ipsam in proposita specie dotis significari, ita aliquid præterea significari aliàs posse, ex verbis legis adfirmo: & alteram CVM COMMODVM ERIT significare, & hoc ipsum, quod de salua dignitate notatum est. Atque in hac posteriori plus esse, quilibet, opinor, sentit: cum & possit, quod incommodè potest: & omnino aliquid addit verbum COMMODVM. Sed an & plus aliquid erit, si dicitur, CVM COMMODISSIMVM ERIT? *Ateius scripsit, Seruium respondisse, cum primùm sine turpitudine, & infamia dari*

possit, deberi. l. anus. 79. D. de iu. do. Nihil igitur amplius esse in ista videtur: nam & præcedens sic accipitur, Cum salua dignitate mea potero. Et id est, quia non etiam expectare commodum debitor debet, dum debitum præstat. hoc enim contra naturam soluendi debitum. itaque satis si salua dignitate, si sine turpitudine, infamia, incommodo: non quoque vt cum commodo. Sic accipienda vltima verba illa, *Hoc est, cum sine incomodo meo potero.* Non sola est penuria excludenda: nam (vt ait Dec. cons. 555.) non ilico dicitur commodè fieri, quod absque penuria fit. Atque ita cum de incommodo excludendo hac exceptione tantùm actum credatur: & illud probè excludat ea formula, CVM COMMODVM ERIT: superlatio addere omnino nihil potest. Cum commodum, id est, sine turpitudine. Ita ego accepissem illud Terentij, *Dabitur a me argentum, dum erit commodum: nam meretrici dare quando est commodum?* At est Asconius interpretatus, ac si dictum fuerit, Dum libebit: nam meretrici dare quando libet, ? Ego aliter, vt dixi: nam meritrici dare sæpius immo libet; sed numquam sine turpi-

tudine datur, & infamia. Verùm Asconius & illud in suam interpretationem addit, quod veteres, pro CVM LIBEBIT dixerint CVM ERIT COMMODVM. fortè quia commodum dici nequit, quod inuito extorquetur. ita vt incommodum dixerint glossarius & Bartolus etiam illud, quod cõtra voluntatem fit. in l. Paulus. D. de solut. quò & pertinet. l. vlt. D. de vs. & habit. Et de hoc quidem incommodo volunt incommodi nomen accipi, si aliud notatum non sit. puta, si de incommodo, quod damnum sit, oratio non habetur. damnum. n. cum sit deminutio patrimonij: & patrimonium non propterea diminuatur, quòd ab inuito aliquid fiat: sequitur, incommodi nomen capi nunc tam latè non oportere. Sed nec potuit lata hæc significatio obtinere in supradictis speciebus. l. nepos. &. l. auus. quia q̃ est necessitatis, & officij, ad voluntatẽ hoc sermone deuocare non decet. Est autẽ necessitatis & officij dotare filias, neptes. Verùm & in omni alio, qui dotem dixerit, idem censeo: quoniam inanis alioqui promissio in voluntatem promittentis collata: vt dictum est ad condicionem SI VOLET. Ergo & in omni promissore idem. Et sanè cum oratio hęc ambi-

ambigua sit, sic fieri debet interpretatio, vt aliqua obligatio existat: cum sit id de natura contractus. & actus non nullus habetur. & tenetur regula l. veteribus. D. de pact. Vnum restat, & plenè a nobis explicata nostra condicio est, & d.l. nepos, Diximus, solutum esse oportere æs alienum. Quęro, quando istud contingat, vt sit solutum. Dicimus non cogendum promissorem ad rerum distractionem. l. diuortio. D. de neg. ges. & Acc. in d.l. nepos. Non imputandum, si pro commoditatibus rei suæ administrandæ æs alienum tardiùs exsoluerit, l. Thais. 41. §. 1. D. de fid. lib. Et si de testatoris facto agitur, fiet ex suis facultatibus iudicium, nec iuuabit quicquam, quod hæres vir locupletissimus fuerit institutus. l. Stichum. 39. §. 1. D. de statul. nec enim ex persona hæredis afficitur hæreditas. l. x. D. de except. neque defunctus. l. x 1. D. de diu. & temp. præs.

SI HABITAVERIT.

VIdeamus, quid sit simul habitare, & ab aliquo non discedere. Et est, vt cum

eo viuere debeat, victum capere. l. si quis ita. 8. D. de cond. & dem. atque ita Imola & Socinus ilic: & Baldus in. l. 1. C. de lega. vbi notandum dicit, quod vt quis probet, se cum aliquo stetisse, debet probare, quod ibi victum capiebat. nam si hoc alibi faciebat, non dicitur, ibi stetisse. sit igitur oportet mensæ socius. Et videtur omnium opinio. Atque mihi in vxore & filijs placet: quia non de habitatione alia videtur cogitasse testator, quàm de solita ipso viuente. l. vxori. 33. in prin. D. de leg. 3. déque ea, quæ matri filijsque esse debet. Habitandi autem verbum an id significet, subsisto: atque ideo dubito, si eo modo debet nostra condicio vbique accipi. Tamen quòd simul habitantes soleant & simul capere victum, hac ratione libens excipio generaliter istam præsentis condicionis interpretationem. per locum a communiter accidentibus. Addo verò, quod cum & alimenta legata dicantur ex ista habitatione iniuncta: vt per Bar. in l. Caio. §. 1. D. de alim. leg. omnino hæc est tenenda interpretatio: quia, ita alimenta præstari, certum est. Vitium igitur interpretatio hęc patitur, si de victu aliunde esset ista grauato condicione prospectum a testatore.

testatore. nam tunc nec tenetur simul sumere cibum: nec posset, si velit. & satis est, si in obsequio eius fuerit, quo cum habitare iussus est: aut aliud quid praestiterit, propter quod iniunxisse eam habitationem testator potuit: l. illis libertis. D. de cõd. & dem. & Cumanus, ac Socinus tradunt in d. l. 8. co. ti. & exempla etiam esse possunt ex Decii cons. 485. Casus. si mater iussa est cum filio infante morari, aut cum valetudinario. nam omnino, vt curam aetatis, & valetudinis habeat, dictum de habitatione erit. Rursus ea interpretatio non tenebitur, nisi si simpliciter apposita condicio est: at si dicitur, vt in tali ciuitate habitet; tunc potius, si in illa ciuitate degit. l. qui concubinam. 3 c. §. vxori. vbi ita Bar. de leg. 3. & Imo. in d. l. 8. Quod tamen neque ille glossarius, neque hîc Socinus admittunt. Qui sentiunt rectiùs? Vereor, ne utros plene percepisse sententiam d. §. vxori. opinionem tamen Bartoli in quaestione proposita meliorem esse. Et ad primum, noto duas condiciones esse in istis verbis, DVM CVM FILIO MEO CAPVAE ERIT. prima est manendi cum filio: altera manendi Capuae. Itaque impletur prior, si per ipsam

vxorem

vxorem non steterit, quominus cum filio sit. altera non impletur, nisi sit Capuæ. Et ideo rectè iurisconsultus, *Si ambo Capuæ habitassent, legatum matri debitum iri putauit.* impleta enim a matre altera condicio est. Prior etiam impleta cõdicio est, quando filius a matre migrauit, id est, ex his ædibus discessit, quas habitabant simul. impleta *quamuis vnà non habitassent.* Atque duas esse condiciones clariùs adhuc patet ex vers. *sin autem.* cum ex eo, quòd Capuæ iam non manent amplius, legatum nec debetur. & vtique deberetur, si alibi habitarent simul, & non supereset altera condicio habitandi Capuæ, quam alibi habitando non implent, etsi impleant illam habitandi simul. Iam ad propositum quæstionis. Bartoli opinio probatur perspicuè ex vers. vlt. qui penitus esset superfluus ex interpretatione glossarij & Socini. Posita species est ad illud vsque verbum, *si ambo.* ibi ponitur decisio in hunc modum, Aut habitauit mater, & filius Capuæ, licet diuersis in ædibus, & impleta condicio est; quando filius a matre migrauit: Aut neuter habitauit Capuæ, & nõ debetur legatum nisi pro primo anno, cuius principium egerunt Capuæ: Aut

sola

sola mater habitauit, & legatum debetur: si tamen per eam non fit, quominus & filius habitet vnà. Atque patet ita, matrem sequi locum non oportere, quem filius habitat: sed habere satis, si Capuę simul habitandi facultatem filio faciat. Hoc loci adiectio addit, contra quàm opinatus Socinus est. Cuius duæ rationes in suam sententiam adductę iam sublatę apparent. Rectè igitur nec pertinax in sententia est, sed cogitandum relinquit. *Videamus* (ait I. C.) *an his verbis*, DVM CVM FILIO CAPVAE ERIT, *non condicio significetur, sed ea scriptura pro superuacua debet haberi: quod non probo.* Non probo, vt non sit condicio in adiectione loci, sed ea quasi superuacua debeat haberi, & tantùm attendi alterum, quod de simul habitando dictum est. Huc ista quæstio spectat: nam & subiecta est illis, *sin autem in aliud municipium*. Et quæri hoc nulla ratione potest de his DVM CVM FILIO ERIT. Quęri de adiectione loci potuit, quasi primum sit, vt cum filio habitet: itáque nec curandum prętera aliud, certè non nisi cum illo. Et adiecerit fortè locum testator, quia illic tum morarentur, & moraturos in futurum crediderit. Quæ tamen vt vera esse

valeant,

valeant, tamen & loci affectio, ratióque esse aliqua potuit: atque in dubio superuacuũ nihil existimabimus. Ita mihi videtur. Bartolus retulerit eò potiùs quæstionem, quia huiusmodi præcepta valere non videantur, nisi & alicuius interfit. Adi illum in l. Quinctus, D. de ann. leg. Dispiciamus iam de tempore. Et de continuo accipi oportere tradidimus c. 14. de diu. temp. app. & in certo hoc casu tractum successiuum exigi notat Dec. cons. 641. nec tamen omne momentum exigendum esse: vt adnotauimus c. 7. Socino est & disceptatio, si satis sit, modico tempore habitare. & disceptat per d. §. uxori. quem quoq; valde obscurum dicit. At si in principio anni legatum debetur, (quod omnes volunt) satis etiam videtur, si quantolibet tempore simul habitent. Nec tamen fraus testamento fiet: quoniam aut cadet legatarius à petitione sequentium: aut (quod magis est) tempus malè subtractum in sequentibus reddet. arg. l. 4. §. Stichus. 5. & l. seruus §. 1. D. de statul. minus accipiet, refundet partem acceptorum. aliter rem componet. Nunc & illud quæro, si præter habitationem aliquid adhuc debeatur ab eo, qui habitare iussus est. Et seruitia quædam

dam pro qualitate personæ deberi, sicut & victus ipsi pro eadem qualitate debetur; traditum est a Bar. in d.l. Caio. §. 1. de alim. leg. nec diuersus a Bartolo abit Baldus in d.l. 1. C. de lega. Item quæro, si iterum vxor nubit, an possit adhuc pergere in implendo condicionem, & legatum habere? Negat Baldus. Item quæro, si habitare etiam cum incommodo debeat. Item an adiecta mulieri DVM CVM VIRO MORETVR, mulier virum peregrinantem sequi teneatur. Item an adiecta viro tanti sit, vt cogat eum etiam ab vxore discedere: puta quia dictum sit, SI TITIVS ILIC DEGERIT: & ilic vxor esse eius non potest. Hęc omnia benè docet Bartolus in l. Męuia. §. 1. D. de ann. leg. & Baldus in d.l. 1. Ego nihil addo. Item quæro, si cautum sit, vt Titius puta Londini commoretur, an si ilic non est cum familia, condicioni fecisse satis dicetur? Respondet Bartolus, ibi quem morari, vbi cum familia habitat. in d. l. vxori. in prin. Quærendum præterea de quibusdam additis articulis esset: sed & de ipsis ad condicionem nostram plenè Bar. in l. Quinctus. de ann. leg. adque Bartolum alij ibi.

Itáque

Itáque ego nihil. Et nihil hoc loco, quod iſta condicio duobus caſibus Mutiana cautione impletur: nam hoc libro ſecundo de condicionibus expoſuimus. Extingui cum eius vita, quo cum morandum erat: eiúſque fauore appoſitam videri ex cauſſis poſſe, & alij tradiderunt, & Decius comprobauit d. conſ. 485. & conſ. 601. Viſo. qui tamen & adiectam eſſe poſſe dicit (& ita in dubio videri ſecundùm communem opinionem, quæ eſt, vt legatum fauore legatarij relictum credatur) fauore ipſius, qui morari debet; & fauore etiam vtriuſque. Quibus ex differentijs & diuerſum ius promanare. nam ubi fauore legatarij ſit adiecta, morte alterius, cum quo morandum fuerat, aut alio caſu non extinguetur: nec ſi fauore vtriuſque apponitur. vt ille docet. Cauſſas illas recenſet ætatem, valetudinem, alias huiuſmodi affectiones illius, cum quo legatarius habitare iuſſus eſt, quibus ita proſpectum teſtator aliquo modo voluerit. In matre, quæ iuſſa eſt cum filijs habitare, ait in dubióq; filiorum immo gratia condicionem adiectam videri. ſuperaddo conſ. 526. in caſu. Mihi (vt dixi alibi) in dubio omnis condicio adijci in onus potiùs videtur, quia

onus

onus est condicio implere debenti: etsi legatum ipsum ad commodum legatarij spectat. tamen & in hac condicione legatum inesse videtur, si victum ex ipsa legatarius habet. Habet verò Decius d. cons. 485. & cons. 621. Aliàs. tres egregias in huius condicionis propositio quæstiones. Prima, quid si alter filiorum, cum quibus morari debet mater, aut morte, aut nuptijs ab ea distrahatur: an pro rata alterius legatum consequetur? Adfirmat & d. cons. 526. Quid si vnus morte sit subtractus, alter, filia scilicet, nuptijs? Negat vel pro rata filiæ deberi. Quid si hæc filia aut cum marito, aut vidua mox redeat ad habitandum cũ matre: an legatum redintegrabitur? Et hoc negat, cum ex natura condicionum, de qua aliàs exposuimus; tũ quia hęc secunda habitatio alterius naturæ videtur, quàm prior, quæ in fauorem filiorum erat, quos custodire mater debet: & hæc in matris fauorem est, quoniam ipse maritus custos vxoris. Quòd si eiusdem naturæ esset, contrà videretur; quia stante eadem ratione non nocebit, quòd verba hominis de primo actu capi debeant. Et cætera, vt per ipsum.

SI SINE LIBERIS.

HAEC condicio & conſpicitur frequenter, & multas ſolet quæſtiones habere Nos illam videamus primùm, ſi differt ab altera SI SINE FILIIS. nam erit de proprietate, & ſignificatione vocabuli vtriuſque quæſtio. Et in ea interpretes, quos ſcio, omnes ita concludunt, vt filiorum nomine non niſi primus gradus contineatur, liberorum etiam veniant vlteriores. Ceterùm probatam hanc omnibus differentiam ego non veram eſſe ſæpiùs cogitaui. nec enim a Calliſtrato ea eſt in l. liberorum. D. de ver. ſign. qui, vno ſolùm caſu excepto, facere immo parem vtriuſq; nominis poteſtatem videtur. & facit illam, vt interpretatione potiùs, quàm ſignificatione propria vtrunque nomen alios deinceps a primo gradus contineat. Et quid conſtituetur differentia, ſi auctores alij, ſi ipſi iuriſconſulti, & Calliſtratúſmet nomina iſta vſurpant promiſcuè? *Filij appellatione omnes liberos intelligimus.* inquit Paulus eo tit. l. 48. itaque aut latior ſit ſignificatio nomi-

nis

nis filiorum, aut æquè lata ac liberorum. aliàs contentum continente maius haberetur. quod eſt abſurdum. Eſt aliquis (puto Alciatus) qui elegantiæ affectatæ prætextu hoc reſponſum eludere alicubi tentat, & nobis illudere: quaſi Paulus, ne idem verbum repeteret inconcinè, liberos dixerit, non filios. ſed aut aliter loquendum fuit; aut tantulam ob cauſam admittendum non erat, cur ſententia rapi aliò poſſet. Alij pro *omnes* reponunt *homines*. potuiſſent *omines* etiam ſine aſpiratione reponere. nam in iiſdem pandectis legimus oc, ac, ero, odie, abeo, oſpes, iſpania, actenus, ortatus, & omo in l. 5. de reſc. vend. pro hoc, hac, &c. Et Scipius frater (ſi non memini malè) veterem ſcripturam adprobat. Certè veteres parciſſimè vſi aſpiratione ſunt, & ædos, & ircos dixere: vt tradit Quintilianus lib. 1. c. 9. Verùm emendatio hæc refutata Fornerio, nec ſapit mihi. Ego potiùs dicerem, non de gradibus illic agi, ſed de numero: vt quod de filio enunciatum numero vnitatis ſit, id & pluratiuo intelligatur. quod aliquando fit. l. ſi quis. §. 1. D. de teſ. tu. l. 1.

D. de adſ. lib. l. 2. D. de lib. & poſt. alibi. Adducor in iſtam coniecturam, quia inquit, *filij*; & opinor dixiſſet *filiorum*, ſi non de numero quæreretur. item quia hoc videtur proprium verbi *intelligendi*, vt improprietatem quandam denotet: & ſanè minus proprium eſt, vt ſingularis ad pluralem trahatur, quàm ſi filiorum nomen, retenta etiam communi traditione de iſtis nominibus, & de liberis accipiamus, cum iuſta interpretatione fiat, vt accipiatur. Tamen nec faceret hæc interpretatio ad rem præſentem ſatis; quoniam, liberos nomine filij contineri, manet adhuc. Sed quid ſi, Græcis interpretibus nihil demoratis, liberos hîc pro liberis hominibus capimus? Probandum videtur, quoniam filij ſunt, quos nuptiæ demonſtrant. & faciunt quæ ad hanc ipſam condicionem dicentur per l. ex facto. §. ex facto. ad Treb. Aſt neque hoc teneo: nam cur vniuerſale *omnes*? Igitur a priori mea ſententia non diſcedo. Et in eam ſecundò profero illa Calliſtrati, *Qui liberorum procreandorum animo vxores ducunt.* hîc an non liberorum nomen pro filiorum, adſumptum? Eccur intermixtum diui Marci reſcriptum, niſi vt oſtendatur promiſcua definitio? Non admiſcetur

miſcetur (quod doctores autumant) vt definiatur, etiam in vno conſtare liberorum nomen. qua enim arte? ſed vt lata illa ſignificatio reſcripto etiam D. Marci probata oſtenderetur. liberorum ſignificatio? ineptiſsimè dum agit de nomine filiorum, & poſtquam longè vltra nepotes produxerat priùs ſignificationem liberorum, ad quem nepotem tantùm Diui Marci reſcriptum producit. igitur de filijs accipit ilic Calliſtratus liberorum nomen. Quod ſi excipitur, negare hoc neminem, quin nomine liberorum filij ſignificentur: ſed contrarium, vt filiorum appellatio liberos contineat, nos reſpondemus, quod aliò argumentum noſtrum ſpectat. dicimus, quod ad latitudinem ſignificationis nominis filiorum non eſt veritus I. C. proferre reſcriptum Marci, quod de nomine liberonem eſt. ait, *Non videri ſine liberis defunctum &c.* quæritur de nomine filiorum, an nepotes contineat. & ait Calliſtratus primùm ex Frontonis reſponſo: ſecundò ex Marci reſcripto. at hoc loquitur in nomine liberorum: nihil igitur probat, niſi illud poſitum ſit, de filiorum nomine idem cenſeri, quod de nomine liberorum adſeritur. Et ipſa præterea Calliſtrati verba,

quæ nomen liberorum habent omnino pro his ſolis, qui ſunt primi gradus, an non oſtendunt vocabulorum vſum promiſcuum? exceptio valeret, ſi de ſua latitudine nomen liberorum non abduceretur: ſed abducitur, & ſignificat tantùm primum gradum: quemadmodum & nomen filiorum ſequentes quoque ſignificat. Et ratio Calliſtrati ipſius num apertè non dicit, filiorum nomine omnes deſcendentes contineri? dicit, & docet. Nihil in ſumma Calliſtratus pro nomine liberorum ſcribit, excepto illo cognationis enumeratæ caſu, quod non etiam de filiorum nomine adiungat. Ille caſus cautionem legis habet. cuius exemplo ſtat & ſubtilitas notata in §. vlt. Inſt. qui te. tu. quam nec ex proprietate eſſe credi poteſt per verbum *videntur*, quod & ilic vſurpatur, &, vnde is paragraphus deſumptus eſt, in l. 6. D. de teſt. tu. Aliàs ſubtilem illam legis diſtinctionem vulgò homines non obſeruare, tradit glos. & Bal. in d. l. 6. & liberorum, quàm filiorum voce lubentiùs vſos veteres, Fornerius obſeruat. quod eſt in poteſtate verborum diſcrimen nullum conſtituere. Legeſque, quo quodque diſtinctius eſſet, nominum caſus nouos,

nouos, nominum huiuſmodi differentias nouas, & noua etiam nomina inuenerunt. *Libertabus* inquit Chariſius lib. 1. *et filiabus iuriſperiti inſtituerunt ambiguitatis diſcernendæ gratia.* cum id generis alijs: quæ alij adnotarunt. Illa porrò ſubtilitas, quæ contra vſum eſt, & naturam (*natura*, ait I. C. *non docet*) ſuis illis continenda caſibus eſt. Eſt contra iuſtam interpretationem: nam *iuſta interpretatione* &c. l. iuſta. 201. eo. ti. de ver. ſig. iuſta interpretatio eſt vndique bona. per latè notata ab Alciato in l. lege obuenire. eo. tit. vt nec noceat verbum *videatur*, quod nec ſemper improprietatem notat: & hîc eam omnino notam refugit ex verbo iſto *iuſta*. itaque, quin ex proprietate non ſit, malè ipſe idem Alciatus colligit in d. l. iuſta. Et illi non aſſentior, interpretationem eſſe ex vi verborum neganti lib. 2. de verbo. ſignif. nam Accurſius interpretationem verbi dixit eſſe apertam ipſius ſignificationem. in l. 1. in fi. D. de iu. & fac. ign. Et verò an non eſt iuxta proprietatem interpretatio verborum explicatio poteſtatis ipſorum? Sed nolo hunc tractatum ex ſe longum nimis facere longiorem. Vnum dico illud, quod, ſtante

versione Græcorum, quam adfert, & probat Fornerius, Alciati aduersa ratio non procedit. illi enim transferunt, quod vt filiorum familias, ita & filij appellatione nepotes, posteriquę comprehenduntur. Atque filius familias propriè de omnibus descendentibus dicetur, qui in familia sint. l. pronunciatio. §. 1. eo. ti. de ver. sig. Et mihi quoque placet Græca versio. nam aptiùs ad gradus argumentatur iurisconsultus ex definitione in casu graduum, quàm ex definitione in casu generum. nam quod hoc argumentum est? Genere masculino continetur fæmeninum. Ergo & nomine primum gradum significante comprehẽduntur etiam vlteriores. Nihil hîc simile. Et sanè si a casu generum ducere similitudinẽ voluit, quid non *filiam*, sed *filiam familias* dixit? quid *familias* facit hîc? Igitur pro *filiamfamilias* reponamus, nulla propè mutatione, *filiorum familias*. Et hæc erit verborum constructio, Iusta interpretatione recipiendum est, vt appellatione filij ita & nepos videatur comprehendi, sicuti filiorumfamilias contineri sępe respondimus. Non dubito, quin ista emendatio, & constructio vera sit. Et Græcis illis ego maximè credo non interpretantibus verbi sen-

sum

ſum, ſed verbum Latinum ſua lingua referentibus. Sic non credebam ſupra, dum in l. filij. verbi *liberos* ſenſum tractarunt, qui poterat & filiorum eſſe, & ingenuorum. hîc credo, vbi de verbo tantùm reponendo agitur, & an *filiamf.* legi, vel *filiorumf.* debeat. certum quippe eſt, librorum noſtrorum exemplaria illis emendatiſſima obtigiſſe: ſed eruditionem, aut iudicium interpretandi illis non do. Iam ad alia tranſeamus. & ſi in hoc fuimus diu, cogitemus pugnandum nobis contra receptam omnibus opinionem fuiſſe. Fecimus iſtas conditiones pares SI SINE LIBERIS, SI SINE FILIIS: & ferè etiam liberorum, atque filiorum nomina paria, ea in plures gradus deducendo. Qui igitur illi gradus? ſi ad poſteros deducitur vocabulorum vis, vtíq; & ad omnes gradus in infinitum. nam poſtrerorum appellatio in perpetuum durat. l. 4. D. de iu. imm. quicquid Caligula nequiter vltra filios non durare cauillatus ſit. vt per Suetonium. Negant interpretes tamen communiter, vltra gradum trinepotum produci liberorum nomen. idque per l. iuriſconſultus. §. parentes. D. de grad. Cuius in ſententia eos hallucinatos eſſe, & ſunt (opinor) qui declarunt,

rarunt,& mihi omnino videtur. Nam vltra trinepotẽ non esse proprium nomen liberis dicit iurisc̃ōsultus: at liberos non appellari, hoc nō dicit. Et si liberi,parẽtesq; sunt illic ęquiparati: parentes autẽ sunt vltra etiã tritauos.l.4.D.de in ius voca. certè & liberi vltra trinepotes erunt.Quod & disertè legitur in l.x.§.liberos.eo.ti. Itaque & Callistrati enuntiatio illa,*Ceteriq;,qui ex his descendũt,continẽtur*,in infinitũ accipietur. Ita accipietur, etsi anceps quęstio fuerit inter veteres,et diu in vtramq; partem exagitata: vt ait Alex.ab Alex. lib. 1.Gẽ.c.16. quoniam vero non facilè gradus septimus per humanã vitam exceditur. l.4.de grad. id q; in causa fortè fuit,ne specialia nomina quæsita vltra trinepotem sint: ne disputasse nos min⁹ aptè videamur: ecce in proposito disputationis ad præsentem condicionem exemplum, SI SINE LIBERIS CAII ERIT FAMILIA EIVS, MEA HAEC BONA AD LIBEROS PVBLII VENIANT. Dico,ad Publij liberos nō peruentura bona, donec sint de posteris Caij. Doctores dicent peruentura statim atque Caij trinepos mortuus est. Rursus ad liberos Publij peruenire bona posse cẽseo, quiqui extẽt de Publij posteris.Doctores peri-

re

re fideicõmiſſum adfirmabũt, ſi perijt gradus trinepotũ. Hæc eadem & de filijs dico. Atq; ſi noſtra non placent, ipſi adeantur interpretes in d.liberorũ.& Dec.conſ. 95.vbi tritam & vulgatam admodum quęſtionem hanc dicit,ſi filiorum nomine nepotes, & alij veniant:atq; eã ipſe integris quinq; columnis examinat.ſed & conſ.391.& limitationẽ vnã atq; ãlterã ponit conſ.433.et cõſ. 443.& aliam conſ.465. Ego ad aliam quęſtionẽ pergo.SI SINE LIBERIS. an,ſi cũ vno deceſſerit,condicio euanuit?*Hæc enunciatio* (ait Caius in l. non eſt ſine liberis.D. de ve. ſig.) HABET LIBEROS, NON HABET LIBEROS,*ſemper pluratiuo numero profertur, ſicut & pugillares, & codicilli.* Ait Caius *ſemper*. At Diocletianus, ne Conſtantinopolitanos recentiores memorem, codicillum dixit in l.14. C. de teſta. Marcellus I.C.in l.pe.D.de iu.cod.Paulus in l.38.D.de cond.& dem.quibus Forneriũ non attendiſſe demiror, & Alciatũ.Pugillar a Catullo dictũ tradit Charıſius. li.1. Et Quint. *liberi ac parẽtis is eſt affectus*.decl. 2.& Ouid.*quoque magis doleas genetrix, ait, en ego liber ille ferox tacui*.l. ib.1.Met.Quem mihi locũ monſtrauit flos iuuenũ eruditiſſimorum meiq́ue amiciſſimus Tho.Sauilus.

quos

quos prȩterea ex Modeſtino et Vlpiano Alciatus, Cottaque proferunt, ij in libris Florentinis aliter extant. Sed dicamus nos *Semper*, quia non apud receptæ auctoritatis auctores, licet (vt ſolet Nonius loqui) doctos, aliter reperiretur. vel ſemper, quod vix vnquam aliter. vt lib. 2. Lect. notaui. De alijs iam, quæ pluraliter tantùm efferri conſueuere, & de his, quæ tantùm ſingulariter, legendus Gell. lib. 19. c. 8. Sed & Nonius, & alij grammatici non ſemel iſtiuſmodi notant. Ego propoſitam quæſtionem proſequor. Euaneſcit condicio vel vno relicto filio. *nam quem ſine liberis eſſe dicere non poſſumus, hunc neceſſe eſt dicamus liberos* habere. l. nam quem. 149. D. de ver. ſig. Rectè ait *neceſſe*: nam diſiunctiua prorſus oratio hæc, AVT NON HABET, AVT HABET LIBEROS. itaque illo ſublato neceſſe eſt poni alterum. l. hæc verba. eo. tit. Subdiſiunctiua eſt in l. 4. in prin. D. de man. Sed conniuentibus oculis in diſiunctiuam accipitur. Sic & aliqua interpretatione tenetur ſimilis ratio in l. 1. §. idem ait. 14. D. de aq. co. Similiores certè hæ ſunt, quàm quæ a Fornerio afferuntur. Igitur vno filio euaneſcet condicio, quia, qui vnum habet,

bet, non dicitur esse sine. Et indefinita satis si in vno vera est. Vt ex alijs, & ad ipsam hanc legem scribit Hotom. cons.7. Et liberorum nomen non repugnat, quod & de vno dicitur, quia numero vnitatis non effertur. His adiungatur Papiniani tertia ratio. Ait, *Ita fidei commisso dato,* VOLO RESTITVAS SI SINE LIBERIS DECEDAS : *condicio deficit ex voluntate vel vno filio superstite relicto.* l.pater. 101. §. 1. D. de cond. & dem. Sed an non hæc pugnat ratio cum superioribus? *Ex voluntate* hic inquit ; ille vim verborum protulit. Non pugnat : nam hic suum, & ille suum expedijt argumentum, quod fortius visum est. Et videri sanè fortius potest Papinianeum: quia immo is sine liberis decedere videtur, qui cũ liberis non decedit. nec decedit cum liberis, qui cum vno decedit, si verum est, pluratiuum numerum vno contentum non esse. Bonum tamen & illud est argumentum, quoniam numeri pluratiui naturæ ratio hîc haberi non debet, quando non est singularis, & pluratiuo vtimur pro vtroque pariter. Fortè descendendum & ad voluntatem vsque erit, quòd non satis adhuc confirmetur, de vno accipi verba, quæ

& de pluribus æquè accipi posset. Itaq; prima rationũ Caius, summũ protulerit Papinianus. Et voluntas ilinc colligatur, q; & de vno, & de pluribus, prout tulerit casus sentire testatores eo sermone solent. l. vlt. §. filiæ. de leg. 2. & alij passim, vt nemo non notat. Atq; in ista quæstione sic omnes cẽsent. Quod videre est apud Dec. cons. 15. 50. 218. 269. 370. 636. Est tamẽ illa limitatio, vt in vno non verificetur cõdicio si in odiosis, vt in fideicõmissis, versaremur. Dec. cõs. 287. 361. 362. cõtradicit tamen Molineus. Nec porrò in vno tantùm, sed et in vna deficit condicio. maximè ad excludendũ fidei cõmissũ. Dec. cons. 270. 318. Et enunciatũ vsus auctorũ probat notatus Gellio, grammaticisque: et quod vt singulari numero, ita etiam genere fœmenino hoc vocabulum caret. Itaque liberorum sponsos dixit Marcianus in l. 4. de parricid. Sed et illam definitionem nemo est qui non teneat: & in contractu adiecta, SI SINE LIBERIS MATRIMONIVM DIRIMATVR, & alij, & Decius tradit cons. 414. & 570. Cõtrarium in nomine filiorũ interpretes dixerint ne fœmininę veniãt in cõtractibus, in quib⁹ stricta interpretatio vt in emphyteutico, fit. vt per eundẽ Dec. cõs. 171 202. 236. item in statutis. cõs. 353. 372. itẽ in testamẽtis ex quibusdã coniecturis. cons. 15. 236.

270

270.299.& mox aliquid dicã. Itẽ quando propterea teſtatoris excluderet filia. vide casũ difficilẽ conſ.360.& vbiq; aduerſantẽ Molinæũ. Verùm & non modò filia vna facit cõdicionẽ deficere, ſed et nepos ex filia.l. 1. C.de cõd.inſer.quẽ ſcilicet et inter liberos cõtineri Diuus Pius reſcripſit.l.vlt.D.de pollicit. Et pronepos. l.iubemus. C.ad Trebell. Dicas ex conſtitutis ſupra idem in omnibus deſcendẽtibus. Et q̃ ad nepotẽ produximus, id verũ eſſe, etiã ſi additũ ſit EX SE NATIS, Baldus & Corneus exiſtimarũt, & Zas.conſ.1.num.36.37.& tenet Alciatus ac receptũ dicit, licet Guido Papę reclamet. Ait aũt Bald⁹, immediatè dici quicquid p̃ rerũ naturã continuatiuè eſt vnũ et idẽ in d.l.1. de cõd.inſ. Sed q̃ diximus de filia, an verũ eſt, ſi additũ ſit nomen maſculorum? Negãt probè omnes. lege Dec.conſ.155.diligẽter. Quid ſtãte lege municipij, vt maſculis exiſtentibus, fœminę non ſuccedant, et condicio hęc adiciatur SI SINE LIBERIS, an fœmina faciet condicionem deficere? Et id negat Dec.conſ.270. 495.545.quia, vt ſecũdùm perſonę condicionem verba accipiuntur, ita et ſecundùm condicionem loci accipi debent. cum áliis, quæ latè tractat. Molineus tamen vehementer notat, & Decium peſsimè conſuluiſſe contendit: Sicut & reprehendit in altera ſpecie hac, Si aliàs maſ-

masculorum mentio facta in testamento sit, & prælati filiabus filii sint, masculíque magis dilecti appareant, in qua Decius concludit, filias filiorum non facere conditionem deficere.d.cons.545. & cons.15.vbi quod nec obstet l.cum auus.D. de cond.& dem. nec. l.cum acutissimi. C. de fideic. quia illæ procedant,si nulla sit inter masculos & fœminas differentia. quæ hîc differentia est, quoniam & proprię testatoris filię excluſæ sunt.Et quidem,si is, qui condicionem extitisse dicit, ex testatoris est descendentibus, indubitanter has partes tenet: vt & ego facio. alias quæstio difficilis est: quod videre apud ipsum Decium licet: neque nisi multis ex facto adsumptis definiri rectè valet. quod si partem aliquã sequendum hîc est, libens sanè in diuersam a Deciana discedo: quoniam ea stet ratio immobilis, ne testator successiones alienas propriis anteponere videatur. Festinemus ad alia. Quæro, an quod definitum de vno est, vt faciat deficere condicionem, id verum sit in casu etiam supradictæ legis municipalis? Et ait Alciatus rationis non esse, cur vno existente excludi filiæ non debeant. atque hoc idem consuluit, Dec. cons.484. æquitati. & cons.627. in casu.

& quoſdam, qui contrarium ea ratione, quòd odioſa lex illa eſſet, reſponderunt, refutat. Idem, etſi dicat lex STANTIBVS FRATRIBVS, probat, vt vnus ſatis ſit. Item quæro de poſtumo, an & ipſe faciat deficere condicionem, SI SINE LIBERIS. Et recepta opinio in poſtumis eſt, vt ſi de ipſorum commodo agitur, nati cenſeantur, non aliàs. l. intelligẽdus. l. quod dicimus. vbi Alci. de verb. ſignific. l. ſi quis prægnatem. de reg. iur. l. qui in vtero. D. de ſta. hom. l. is cui. 18. D. qua. di leg. ced. l. 5. D. de teſt. tu. l. vlt. D. de ve. inſp. l. 5. D. de op. lib. & apertè §. inſuper. in Auth. qui mo. na. eff. ſu. Nec quiſquam de iſta definitione dubitat. In eo eſt difficultas, vt cognoſcamus quando de poſtumi, commodo agi dicatur. Nam Alciatus ab Aretino hîc diſcrepat. Ego verò Alciatum probarim magis: qui videndus eſt in d. l. quod dicimus. Ceterùm nec prima definitio generaliter procedit: vt cum reliquis plurimis huc pertinentibus declaro in lib. de legit. tempor. perſon. cap. 3. Hîc dico condicionem a poſtumo interfici, etſi dictum ſit, SI NVLLVS FILIVS ERIT CVM MORIAR. l. 7. D. de manu. teſtam. l. 20. D. ad Treb. contra non interfici, ſi dicatur,

SI SINE FILIIS IN POTESTATE. l. pe. D. de adſ. lib. l. vlt. D. de collat. E diuerſo concepta condicio SI SINE POSTVMIS poteſt & de natis accipi. l. 16. §. vlt. D. de teſt. tu. l. vlt. C. de poſt. her. inſt. Quod ſcilicet ſic eſt accipiendum, vt aliqua ratio eius nominis retineatur tamen. Poſtumorum certè nomine omnes liberi continentur. l. 6. eo. ti. de teſt. tu. Cetera (vt dixi) ſcribo in lib. de legit. temp. pers. Nunc quid de eo, qui extractus eſt de ventre matris? Is propriè non eſt matri poſtumus. vt per noſtrates in rub. D. de lib. & poſt. Et videtur negandum defectam condicionē SI SINE LIBERIS per l. anniculus. 132. §. vlt. D. de ver. ſig. Et verum videri poteſt, ſi dictum ſit, SI PEPERERIT. nam verbum ad mulierem refertur, quæ poſt mortem nihil dicitur agere. Caſtr. in d. l. quod dicitur. vbi & illud habet, quod condicio SI NASCITVR & in iſto verificatur, quodcūq; demū ſubiectū argumentū ſit, ſiue teſtamentariū, ſiue ſtatutarium, ſiue odioſium, ſiue reſtringibile: etſi quidā non ferant per d. l. anniculus. Et ratio Caſtrenſis eſt, quia viuus ad lucem perduci eſt naſci. Baldus & in extraneo tantùm accipit d. l. anniculus. lege conſ. 107. verba

ba testamenti. vol. 3. In nostra condicione SI SINE LIBERIS DECESSERIT, omnino definitur, vt mulier ista sine liberis non decessisse dicatur l. etiam ea. D. de ver. signific. Iason in l. quod dicitur. D. de lib. & postum. Nec dubitationem hoc habet, si vera de postumis tradita sunt. Illud quæri potest, si ex sermonis proprietate definitio sit. Et ex Baldo Alciatus, item & Fornerius negat. Atque ego nescio si disceptandum hîc est, quando huic cæsari (vt ait Alciatus) quæcunque competunt, quæ cæteris filijs indulgentur. Sequitur in ea l. etiam de captiuo, qui potest & in nostro argumento quæstionem facere: atque ea ilic definita est. Quęro igitur de alijs. Quid de susceptis a deportato, ciuiliter scilicet mortuo? Distinguendum, vt habetur in l. ex facto. §. ex facto. D. ad Treb. Quid de natis ex seruo? Et Claudius notat in l. Lucius. 88. §. Damæ. de leg. 2. *Creditur*, ait, *appellatione filiorum & naturales liberos, id est in seruitute susceptos contineri*. Quod quoque probatur in d. l. ex facto. §. si quis rogatus. Et ait Claudiur *Creditur. &c.* nota productæ interpretationis, vt ait Fornerius in d. l. etiam. Quid de natis ex furioso? Declarat

l.heredibus.§.1.ad Treb.Quid de natis sex. & menſe? Dixi in diſputatione de naſcendi tempore. De eo dubitandum non eſt, cui membrum vel caſu, vel a natura deeſt, eſt. n.perfectus homo. vt alij, & Socinus docet in l.cũ auus.col.61.D.de cond.& dem. Sed nec de monſtroſo partu dubitandum eſt, quando habemus certam diſtinctionem in l.quæret aliquis.D.de ver.ſign.in l. non ſunt liberi.D.de ſta.hom. Et quid mirum ſi monſtra non faciunt condicionem deficere: cum (aiente Platone in Cratilo) non ſit homo,qui ex homine naſcitur, ſed is,cuius formam refert? Romani antiquiores proculdubio nec hermaphroditum voluiſſent facere deficere condicionem, qui inter portenta referebant, nec viuere patiebantur.Liu.li.31.39.Oroſ.lib. 5.c.4. Eutrop.lib.4.At noſtris legibus ratio ipſorum habetur.Et in delicijs haberi ſolitos ſequẽtibus temporibus ſcribit Gell. lib. 9.c.4. Plato in Conuiuio etiam priſcis temporibus tertium hoc genus hominum androgynorum fuiſſe fabulatur.Ergo de ſemimare,aut mareſœmina non dubitabitur, quin faciat hodie condicionem deficere.Quæro quid de adoptiuis? Et non faciunt deficere condicionẽ.l. ſi ita quis.51.de leg.2.l.fidei-

com-

commissum. D. de cõd.& dem, etiam si dictũ foret, *Si sine liberis masculis naturalibus & legitimis, vel legitimatis, seu legitimis tãtùm.* vt Curtius respõdit, & subscribit Decius subtiliter differens cons.399.vbi idem tradit & de filio spirituali. sed de adoptiuo definitio limitãda videtur arg.d.l.heredib. §.1.si condicio dicta his est, qui alios filios habere nõ possunt. Et de spadone tenet Ias. in l.sed est quęsitũ.D.de lib.& post. Et sanè ita credo, si scierit impedimentũ, qui cõdicionẽ apponit, & impedimentũ est perpetuũ. Secundò limitatur definitio, si qui cõdicionem dicit, is adoptionis commento causſam dederit. finge eum auum fuisse, qui nepotem tamquam ex filio adoptauit. nam si is auus dicat, FILIO MEO, SI SINE FILIIS DECESSERIT, SVBSTITVO CAIVM; nepos ille substitutum excludet. subtiliter, & ex Bartolo tradit Socinus in l. si cognatis. col. x. D. de reb.du. Tertiò limitatur, vt ad excludendum fiscum adoptiui filiorum nomine veniant. l.vlt.D. de bo. dam. quod credimus verum in legali dispositione, quæ filios suos verisimiliter agnoscet. hinc adoptiuus excludit matrem a legitima successione. l. 3. & 4. D. ad Terty. hinc neque adoptiuum

parentẽ vocare in ius licet; & de parente tantũ dixerat prętor. l. adoptiuum. et l. 4. D. de in ius voc. in diſpoſitione hominis verũ non credo, qui naturam cogitaſſe videtur, non artem. vt mox dicemus. atq; ita cenſeo, vel ſi fraudis ſuſpicio abſit: quicquid contrarium velit Coraſius in hoc caſu lib. 1. Miſc. c. 7. Sed nec in legis diſpoſitione venient quãdo fieri fraus diſpoſitioni legis poteſt. prin. tit. Inſt. de excuſ. tut. in mixta legis et hominis certè non veniunt. §. adoptiuus. tit. 26. lib. 2. feud. Et concludũt doctores, ne veniat adoptiuus nec in legis diſpoſitione, niſi ſit eadẽ & in adoptiuo ratio. adi Dec. in l. generaliter. col. 9. C. de inſt. et illa probè hîc cadit ratio, quam cõtra legitimatum quidã proferunt; de filio ab origine verba accipienda, non ab accidenti. et quia cõmuniter de nato accipimus, non de facto. Quæro quid in legitimatis? Ardua quęſtio. tamẽ eſt cõmunis opinio, vt per eos cõdicio deficiat. legendi interpretes in l. Gallus. §. et quid ſi tantùm. D. de lib. et poſt. nam latiſsimè tractãt. ego ſyluã illã in ſyluã hãc noſtrã nõ defero. Adde et Dec. conſ. 52. viſo elegãti. et ibi Molinæum. ibi de ſtatuto *quod ſtãtibus maſculis*: de diſpẽſatione: de legitimatione p̃ ſubſequẽs matrimonium. Sed et plura huius argumenti idem Decius conſilijs admodum multis. Sic ſcilicet legibus

Roma-

Romanis pænè incognita ſoboles latiùs nunc caput extulit Romanenſium iure adiuta, et ingenia noſtra fatigat, et libros noſtros complet. Quæro quid in emãcipato? et in dubio is non intelligitur, vbi de filijs ſermo eſt. alij, et Iaſ. in l. qui ſe patris, num. 33. C. vn. lib. itaq; minº in cõdicione de ipſis dictũ credetur. tamen quòd iſtę differentię ſublatę hodie videant: et in non heredibus, et in naturalibº aliter dicturi ſumº: libens ſanè etiam de emãcipato dico, facere eum condicionẽ deficere. Quæro quid in nõ ſuperſtite? Proculdubio non intercidit ꝓpter ipſum cõdicio. d. l. ex facto. §. ſi quis aũt. in prin. et ibi DD. quibus iungatur Alciatus præſ. 49. num. 6. reg. 1. Et notandũ qꝫ traditur in. d. §. probare eum debere, filios ſuꝑſtites fuiſſe, qui hoc ait, et ait cõdicionẽ deficiſſe. et qui negat, deceſſiſſe quẽ cum liberis, intentionẽ fundatã habet. inquit, et cõmunẽ ait Decius cõſ. 86. viſo. 578, 652. ſi tamẽ extiterint eo tẽpore ſemel, qꝫ condicio exigit; nihil refert, qd eis poſtea fiat. l. cũ vxori. C. qua. di. leg. cad. et eſt nobilis Oldradi definitio, quam Decius viginti ſuis reſponſis laudat, et adprobat, tu vide conſ. 63. 218. 337, 465. 636. Quæro quid in non heredibus? faciunt et iſti deficere condicionem, niſi incapaces eſſent, qui pro mortuis habentur. l. filius. 114. §. cum quis. de leg. 1. vbi Caſtr.

Nisi etiam essemus in contractu, alióue actu, qui hos filios & obligatos habere debet. nam si non sunt hęredes, nec erunt ex ex contractu defuncti obligati: vt nec veniant in contractu. Bal. in l. 1. in prin. C. de condi. inser. Potest & esse tertia limitatio ex l. 6. vers. liberti autem. D. de relig. Est illa quarta, si additum est & heredum nomen, vt hoc aliquid operetur: ita, SI SINE LIBERIS HEREDIBVS. vt per alios, & Dec. cons. 38. vbi etiam Molinæ. Stabit aliàs regula, quia in condicionibus factum versatur, vt docuimus: & pulcrè Dec. in l. præcibus. & in l. pe. C. de impub. Supereſt disceptatio ardua de filijs naturalibus, nec legitimatis: quam & nos, sed, vt poterit, paucis exponemus. Filij extra matrimonium nascuntur vel ex incesto, & nefario coitu: vel ex prostituta suscipiuntur: vel ex seruo, siue serua sunt: vel ex adulterio: vel in peregrinitate: vel in concubinatu: vel in cœlibatu, vel in gradu ciuiliter prohibito. Id est, vel sunt filij isti ex his, quorum neq; est, neq; esse matrimoniū potest; vt in primo, tertio, quarto, quincto, casu: vel ex his, inter quos potest quidē matrimoniū esse, sed non est; vt in secūdo, sexto, septimo, octauo casu. Nefarius porrò coitus est inter

adscen-

adſcendẽtes & deſcendẽtes. inceſtũ in linea tranſuerſa & gradu iure gẽtium prohibito admittitur. ſic Auth. de inceſ. & nef. nupt. Vſurpantur tamẽ promiſcuè ea vocabula. & inceſtũ dicit I.C. ſi nouerca priuigno, nurus ſocero cõmiſcetur. l. vlt. D. de cond. ſi. ca. Et volo iure gentium prohibitũ coitũ, vt ſit inceſtũ; quia alius dicitur illegitimus rectiùs, qui contra leges eſt. itaque non erit inceſtum niſi in gradu ſecundo (loquor ſecundùm ius ciuile) inter fratrem & ſororem: item in alijs, qui perſonam parentum & filiorum habere videantur, inter patrum & fratris filiam, ſimileſque. Scio quàm latè inceſti nomen pateat: & illud ex Nonij lib. de impro. ſed hîc nomina ſpecierum ſequimur. Nec me mouent aut Perſarum, aut AEgyptiorum inſtituta contraria, aut etiam illegum Papalium facta: quoniam ius gentium, quod ratione naturali ſtat, propterea non commouetur. Qui igitur ex eo coitu naſcũtur, nec digni habiti ſunt, vt ſpuriorum nomine appellentur. Spurij propriè ſunt, qui libera certa matre, patre incerto nati ſunt. §. pe. Inſt. de nupt. Aliàs dicuntur ſpurij nati ex matre nobili & patre ignobili. Et nati ex patre nobili, matre ignobili nothi appellantur. Item veluti ſpu-

rij nominantur nati ex patre ſeruo, matre libera. l. 6. C. de leg. her. quia ſcilicet nec concubinatus hîc eſt: vt plenè oſtendi pater non poſſit: & quia tamen oſtendi aliquis poteſt; non fuerant ſpurij penitus nũcupandi. Spurij tamen ſimpliciter appellantur in l. 3. C. ſol. matr. Spurij omnes naturales largo modo, quia nati ſecundum naturam: & ita ex communi vſu omnes ex ſoluto & ſoluta nati dicuntur naturales. Dec. conſ. 433. Ceterùm qui ex concubinatu ſunt, appellantur propriè naturales: & hi quidem ſoli hoc nomine in ſpecie cẽſentur. immo, quantùm meminiſſe queo, hi tantùm ſic dicuntur, qui non ex concubino, ſed ex concubina ſunt, quos & nothos diximus. Reliqui non habent vllum ſpeciale nomen. Iam ad ipſam quæſtionem noſtram quod attinet, ſint omnes procul, qui ex concubinatu non ſunt; aut in peregrinitate ſuſcepti. Sed nec illos par eſt abigere, qui de gradu ciuiliter vetito ſuſcepti ſunt. etenim hos in figura matrimonij ſuſceptos facere condicionem deficere tradit latè Decius, etiam ſi dictum ſit SI SINE FILIIS LEGITIMÈ ET DE LEGITIMO MATRIMONIO PROCREATIS. adi illũ conſ. 153. in effectu. cognoſcẽdum

etenim

etenim est, qui in figura matrimonij creati dicãtur. quod ille docet, aliaq; cognitu necessaria. item cons. 154. & 155. Qui verò ex cõcubinatu nati adseri possint, pulcrè Alc. de præs. reg. 2. præs. 5. In peregrinitate susceptiq dicuntur, si nuptię nõ inter ciues Romanos sint: nec. n. legitimæ habentur aliæ. Caius lib. 1. Inst. tit. 4. & prin. tit. Inst. de nupt. atq; declarat Alciatus lib. 4. Parerg. c. 5. similis lex Athenis, & Spartæ: ne connubium cum peregrina esset. Plut. in Peric. & in Timol. AElian. lib. 6. Sed isti qui hodie sint, nescio, nisi si quid de diuersis religionibus accipiamus; quoniam sacra iam nequeunt esse cõmunia; & diuersarum quasi ciuitatũ videntur, qui sũt religionũ diuersarũ. De natis istorũ dubio procul ad nostrã condicionẽ respondebimus, quod de naturalib' cõstituetur: quia apertè ratio dictet, vt sit istorũ condicio melior, quàm eorum, qui nati in concubinatu reperiũtur. Igitur de his in cõcubinatu natis videamus. Sed si ipse iste cõcubinat⁹ vetitus hodie est: respõdendũ vtiq; & de his natis videtur, quẽadmodũ de alijs omnib⁹, qui ex matrimonio nati nõ sũt. Et id sanè dicit Duaren⁹ c. 5. ad cõsuet. feud. neq; ego nollẽ hominis sentẽtiã obtinere. ast nõ licet palios, qui magnas

& ho-

& hodie ſtatuunt differentias eorum, qui nõ ex matrimonio oriantur. In noſtra præterea condicione illud eſt obſeruandum, quod de nullo liberorum commodo tractatur, quod per ipſam eis deferatur: quæ n. ſunt in condicione non ſunt in diſpoſitione: & poſiti in condicione non cenſentur vocati: & factum in condicione verſatur: & primum in condicione locum voluntas teſtatoris tenet. Ergo diſpiciamus, quando non ſunt leges impedimento, ſi liberorum nomen poteſt aliàs de naturalibus capi in condicione noſtra. Scribit Coraſius, receptum immo ab omnibus, vt condicio & ex iſtis filijs deficiat. & certè vnus, quod ſciam Iacobus Butrigarius recenſetur, qui contrarium adfirmarit. etiam Alciatus cum hac probata ſententia tenet in l. cognoſcere. §. liberorum. D. de ver. ſign. atque his duobus maximè nituntur omnes argumẽtis. primo, quòd filij nominentur. to. ti. de nat. lib. & ſatis quod iſta ſit naturæ nominatio, etſi non accedat ciuilis: vt aiunt per l. tutelas. D. de cap. dem. Additur, quod & ad ſucceſſionem admittuntur eo nomine. §. conſideremus. in Auth. de tri. & ſem. adeóque faciant longè magis deficere condicionem: quando & qui ſuccedere non poſſunt,

possunt, propterea nec deficere condicionem efficiunt. Ceterùm primo huic argumento respondetur, quod dum non simpliciter filij appellantur, sed cum adiuncto naturalium, patet, eos non esse propriè filios. ex doctrina Bar. in l. Lucius. §. quæsitum. de leg. 3. cui adiungo pręclaram declarationem Alciati lib. 1. de ver. sign. num. 7. & pleniorem discipuli huius Belloni lib. 1. Supp. c. 14. igitur succedat vulgata regula l. non aliter. Et ita nec faciant deficere, quia apti succedere: nam simpliciter tales non sunt. Atque quod de filijs dicitur, ad naturales non extenditur. l. 1. vn. lib. Hot. cons. x. Secundò itaque proferunt l. ex facto. §. si quis rogatus. D. ad Treb. At respondet Corasius, elici ex eo paragrapho solùm, vt hæc voluntatis quæstio sit. ita namq; ad Papiniani sententiam Vlpianus, *Mihi, quod ad naturales liberos attinet, voluntatis quæstio videbitur esse.* Et respondet verissimè Corasius. Miror etiam, id vidisse neminem. Fornerius idem postea scripsit in d. l. nam quem. Et ego Butrigario, Corasio, & Fornerio subscribo. Quę etenim responsiones multæ adferuntur, quibus Butrigarij fundamentum a ceruicibus cõmunis opinionis dimoueatur, eæ omnes

tales

tales sunt, quales nec ipsis auctoribus satisfaciunt: vt videre est apud Alexandrum col. 5. Itaque adferimus paragraphum istū primò, quo dicimus, naturales liberos non facere deficere condicionem. nam si faciunt deficere quando de testatoris voluntate constat: in dubio vtique non facient. Secundò adferebat Butrigarius l. generaliter. §. cum autem. C. de inst. & subst. vbi apertè traditur, quod si sine *iusta* sobole liberi decesserint, cõdicio illa non stat, de qua dixit Papinianus in l. cum auus. D. de cond. & dem. atq; notandũ est, agi tamen de liberis naturalibus, neque adhuc pro istorum naturalibus admitti sẽtẽtiam Papiniani. Multę (vt dixi) adferuntur responsiones. & hoc ipso coniecturam ego facio malę communis cauſſę. ipsa communis solutio non placet, vt ille paragraphus intelligatur secundùm d. §. si quis rogatus. Melior mihi ea videtur, quam non probat Corasius; quæque glossatoris fuit, Rayneri j, Franc: de Rãponibus, Nic. Bal. Ang. Raph. Saly. Castr. & fortè veriorem dicit Imola, atque sequitur, & firmat Alexander: videlicet loqui imperatorẽ ibi de condicione hac a lege subintellecta: nos hîc magis quęrere de expressa a testatore. Atq; huius differẽtiæ ratio

tio illa esse potest, quòd lex subintelligens condicionē sic subintelligit proculdubio, vt ipsa lex probaret. Sed lex de naturalibus cogitare non potest, quæ legitimos intuetur. l. vlt. C. de nat. lib. Igitur subintelligens subintelligit de legitimis, nō de naturalib⁹. Additur, quòd lex faciliùs limitat & ampliat suam quàm hominis dispositionē. l. assiduis. & ibi not. C. qui pot. in pign. hab. Itē quòd cū iure quodā singulari ista fiat subintellectio, non est mirū, si min⁹ pateat latè: nā ius debilius. Qua ratione ita explicata, nec Bartoli (variant scilicet in ratione sētētiæ, quæ in definitione cōueniunt) impugnatio, nec Corasij vrget. nō. n. sequitur q̄ ait Bartolus: Lex subintelligit condicionē veluti ex præsumpta mente testātis: Ergo iudicam⁹ de subintellecta a lege, prout si fuisset expressa a testatore. nā contrarium in subintellecta pupillari videmus, quę nō ita operatur, sicut expressa. & nō est taciti eadē virtus, nisi quando procedit secundùm regulas iuris communis. vt dicebat Imola. Sic & Corasio responsum est, quòd vt dici possit expressū, quod est ex verbis legis: tamen expressum ab expresso differt. & quid mirū, si & tacitū a tacito? Tertium argumētum pro hac parte Butrigarij est ex l. filium

definimus.D.de his, qui sui sunt, vel al. iu. l.3.C.ad leg.Iu.de adult.Verùm hæc in erudita legumlatorum oratione: inquient alij.Faciunt verò pulcra(ita appellat Ang. in l.parentes.D. de in ius voc.) verba Guilielmi de Cuneo, quod parentum & liberorum nomine, si in prouisionibus ordinatis a natura, vel quasi versemur, veniunt naturales: puta in causa alimentorum, honoris, similium. si autem in ordinatis sumus ex dispositione iuris, non veniunt. idque ille per d.l. generaliter. C. de inst. Et dixit etiam Aretin' in l.Lucius.D. de vulg. quod liberorum nomen a lege prolatum non continet naturales, sed legitimos. Et idem tradit Dec.cons. 412. Viso eleganti. num.8. Atque ita profectò tenere interpretes videntur, vt in dispositione legis condicio nostra per istos liberos non intercidat. Et ego de hoc haud dubito. nam pinguiori & latiori interpretatione imperatoris opus fuit, qua ad eos illud Papiniani responsum produceretur. d. §. cum autẽ. Sed nec dubitari de hominis etiam dispositione posse videtur per d.§. si quis autem. nisi fortè meliorem aliquam nos possumus interpretationem excogitare, qua eius vis dissoluatur. Et fieri potest, vt non

ineptis-

ineptiſſima hęc ſit: Ait Vlpianus, *Mihi autem voluntatis quæſtio videbitur eſſe.* itaque Papinianus non ex voluntate ſuam definitionem confecit: aut malè illa aduerſatiua *autem.* Ergo ex verborum confecit proprietate. quod ſi eſt, vicerunt interpretes: nam in dubio & nos ſecundùm proprietatem reſpondebimus. capiamus proprietatem hîc vel eam, quæ ex vſu ſit: nihil refert. & capi poſſe videtur, quia verba naturaliter accipi ſolent. l. tutelas. D. de ca. mi. l. vlt. C. de his, qui ve. æt. impetr. l. fideicommiſſum. in prin. D. de cond. & dem. Iaſ. in l. Gallus. §. & quid ſi tantum. num. 8. D. de lib. & poſt. natura autem legitimos ab illegitimis non diſtinguit. §. 1. in Auth. qui. mo. na. eff. leg. Nefarios, & inceſtuoſos ipſa natura diſtinguit: nam ratio naturalis reijciet eos. Spurios nec admittemus, quia pater incertus. Verum ex te gero, inquit Ariſtippo ſcortum: at ille ſubdit, Non noſti hoc magis, quàm ſi per ſpinas denſiſsimas ambulãs, dicere poſſes, Iſta me pupugit. Itaque ſi de matre, quæ certa eſt, ageretur, contrarium dici poſſet; & ſpurius cum naturali noſtro non peſſimè coniungeretur. atque facit l. 18. D. de bo. lib. l. 2, 4. 8. D. vn. cog. l. 4. §. 2. l. 7. D. de

grad.l.19.§.1.D.de inoff.test.l.1.§.2.l.2.D. ad Tert.y.l.si qua illustris.C.ad Orfi. cum similibus: & notat Alciatus multa, quæ spurijs omnibus tribuitolent, lib. x. Parerg.c. 8.Pistor q.30.vol.1.alij. Facit quod & natorum & liberorum nomen idem esse videtur.l.104.D.de ver sign.Et nati nostri quid ni spurij dicantur? sic itaque responderit Papinianus, intercidere condicionem ex naturalibus. Subdiderit Vlpianus, reuocari istud in quæstionem posse: & contrarium statuendum *ex dignitate* testatoris: qui est casus l. si qua illustris. *ex voluntate.* nota hîc verbum voluntatis. dixit generaliter, quęstionem voluntatis esse posse. nũc ait, Papiniani responsum non obtinere ex voluntate. itaque voluntatem, quemadmodum & dignitatem, ad limitandum responsum Papiniani Vlpianus profert. & id non negant interpretes, vt ex voluntate immo isti naturales in condicione non veniant. Et ita ille paragraphus probare potest communem opinionem. Quam & nos hîc pro maiorum auctoritate sustineamus, eique sua cautiones addamus. sit ergo regula, vt naturales faciant deficere cõdicionẽ. quæ & procedat etiam ad excludẽdum locum pium. vt latè per Dec. cons. 259.&

259.& rursus cons.419.adstruit contra Parisium.& cons.426.adi etiam cons.391.sed & cons.299.pulcram habes in pulcro casu quasi limitationem. Iam regula nec procedat in dispositionibus legũ, sed hominum. Secundò nec in dispositionibus hominum obtineat, si eorum voluntas absit. voluntas autem aliquando non solùm non abest, sed adest maximè, vt in simili casu l. heredibus.77.§.1.D.ad Treb.coniunctio enim ilic cũ furiosa,nõ matrimonium: & nati tamen faciunt condicionem deficere. quod est,quia pater,qui eã collocauit, nõ potuit de alijs liberis cogitare,quàm de istis,cũ eidẽ substituerit SI SINE LIBERIS.Ita & de naturalib° nostris,si de alijs nullis potuit testator noster cogitare.finge eũ, eámue, cui facit substitutionẽ,eius vel ętatis esse,vel in talẽ incidisse casũ, vt alij omnino liberi nõ possint ei nasci prẽter illos,quos iã habet,& cognoscebat testator. Hoc casu etiã de adoptiuis sẽsũ opinarer: etiã de his, quos nõdũ adoptasset.nã hîc nullũ cõmẽtũ:quãdo alij haberi nõ possunt. De adoptiuis intelligerẽ in eo,qui vxoratus esse nõ posit. nã adoptare & is potest,notat Aret in §.minorẽ.Inst.de adopt. Spurios Angelus, & Corasius malũt. sed hoc est inuitare ad fœdũ amplexum.

amplexum. Bartolus de ecclesia credit. ego non credo; quia ecclesia non perit: & perditio eius expectatio tristis. Fortè accipi potest & de susceptis per dispensationem. & accipietur sanè, si in casu dispensandi versemur. vt factum aliquando est, ne stirps scilicet aliqua nobilis intercideret. Adest & voluntas pro naturalibus, si testator sciebat, testamenti tempore solos ei naturales filios esse, cui sub ista conditione substituit. l. cum pater. §. volo. D. de leg. 2. nam de his cogitasse defunctum, verisimile est, facta ex sua scientia suæ voluntatis interpretatione. l. plenum. vers. sed si testator. D. de vs. & hab. atque id firmat Alex. in d. §. si quis rogatus. & Corasius. Item venient naturales, si eorum testator meminerit, eos honorauerit. potentissima coniectura. l. vlt. D. de iu. delib. d. l. Lucius. §. vlt. de leg. 2. & Cyni fuit, quam Alexander multis argumentis confirmat col. 1. Porrò non adest, sed abest voluntas, aut creditur abesse, propter testatoris dignitatem. Spectandam testatoris dignitatem volunt Angelus, Imola, Alexander: etiam si testator ab his filijs alias abhorreret: per d. l. generaliter. §. cum autem. C. de inst. & subst. Et quoniam non quod fiat, sed quod

fieri

fieri debeat, id sit vnum considerandum. l. sed licet. D. de off. præs. Qua tamen in re ego subsisto, quia ille paragraphus non in condicione expressa loquitur, vt exposuimus. de expressa hîc sermo est, & quæstio de voluntate testatoris, quam aliò ipsius dignitas, aliò factum eiusdem rapit. Et dignitati minus dari oportere quis dixerit, quoniam derogatum ei videri potest contrario ipsius testatoris animo; qui totum in re ista potest. Rursus, si testatori dedecus sit, quando de naturalibus etiam condicio intelligeretur, naturales in istam condicionem non venient. puta, filiæ sub hac condicione substituitur. Atque definitio naturalem habet intellectum: & communiter adprobata est. vt per Alex. in d. §. si quis rogatus. col. 3. quicquid contrarium aliquando visus sit dicere Bartolus, vt immo & in fœmina grauata faciant hi filij deficere condicionem. nam Bartoli rationibus satis ab alijs factum est. In extranea testatori sustinent, reclamante Raphaele & Abbate, Alexander & Imola: quia huius testatoris dignitas cum attendatur, quid illum extraneę factum attingit? Si de muliere prostituta ageretur, cum his etiam sentit Raphael: quoniam ipse sibi te-

ſtator eam elegit. atque idem ego tum & in filia teſtatoris adſererem. attendenda quippe ipſius voluntas, quæ ex eiuſdē ſcientia,& perſona filiæ hīc colligetur. Item ſi ſubſtitutus in condicionis euētum teſtatoris filius eſt, tradunt vterque Salycetus, condicionē extitiſſe etiam cū his filijs. atque nouā, & ſingularē limitationē ait iſtā Alexander: ceterùm & refutat: idq; rectè col.3. Et rectè etiam alium caſum a Baldo inductū, quando eccleſia foret ſubſtituta: aut illi filij legitimati eſſēt ab ipſo Cæſare. qua de re ſupra. Ratio Alexandri eſt notabilis.nullibi(inquit)legitur,vt propter dignitatem ſubſtituti fiat talis interpretatio. Non tamen probo Alexandrū,dum rei cit & alium caſum a Caſtrenſe adlatum, dicētēq; quod non faciunt naturales condicionem deficere,ſi tempore dictę condicionis grauato erant non naturales,ſed legitimi filij:ſicut.n.introducuntur naturales, quoniam tum temporis erant; ita legitimi ſoli ſunt introducendi, qui ſoli erant. Et ratio Alexandri non eſt firma: nam a diſsimili. quæ enim ſimilitudo hæc? De nepotibus ait, cenſetur actū in ſubſtitutione; in actu futuri temporis, de quibus tamen in inſtitutione, in actu præſentis temporis actum

ctum non dicitur. sic vt in actu præsentis temporis non venirent naturales hoc casu, ita in actu futuri temporis in hac nostra substitutione & condicione veniant. An non videmus, argumentum duci ab his, qui gradu tantùm, non etiam specie distinguuntur, ad eos, qui specie sunt separati? Vltimus casus introducitur ab Angelo considerante verba condicionis, cui sint adiecta. nam si alicui sub ista condicione in se implenda relinquitur, tenet ipse quod nisi sint filij legitimi, habere legatum non debeat exemplum. TITIO SI SINE LIBERIS DECESSERIT RELINQVO CENTVM. Id ait Ang. per d. l. filium definimus. & definitionem valde notandam dicit Alex. col. 6. at etiam reprobat. Ego autem pro Angelo contra Alexandrum dicerem, rationem in eo esse differentiæ, quòd de lucro captando & adquirendo hîc agitur: aliàs de retinendo excipitur. itaque vt æquitas in exceptione sufficit & retentione, & hæc faciliù, quàm adquisitio sustinetur: ìta in agendo rigor seruetur, & adquisitio non facilè fiat. ex doctrina Bal. in §. in primo. C. de cad. toll. Ita disputari potest: sed, Alexandrum sequi, rectius puto. His casibus exceptis,

eiuſdemque rationis alijs, ſtet regula ex communi doctorum opinione, vt naturales faciant deficere condicionem. nam ſi nullum adeſt voluntatis veſtigium, non re. ctè rem indefinitam relinquimus. definire autem, ne condicio intercidat, id mihi vix adprobatur: & contrarium adprobatur magis per d. §. ſi quis rogatus. quo in eo ſolùm notatus Papinianus ab Vlpiano eſt, quòd ille nullam voluntatis rationem habuiſſe ſit viſus, dum indiſtinctè pro filijs reſpondit. Voluntatem introducit Vlpianus; & meritò. ſi quæſtio nulla mouetur voluntatis, quid & nos Papinianum notemus grauiùs? quid iſtum caſum indefinitum ilic efficimus? ſequamur ergo interpretationem præſtantiorem. ea eſt, quæ plenior; quæ dirimit quæſtiones; quæ ſoluit nodos difficiliores; quæ minus corrigit; quæ congruit magis orationi, quam interpretamur. Et ea hæc eſt communis: vt ex ſupradictis apparet. Porro ex diuerſis iſtis ſpeciebus, quas notauimus ad voluntatem inducendam vel excludendam, inſurgit quæſtio, ſi contrariæ incurrant ſpecies & coniecturæ, quam ſequi magis debemus. Finge quod neget naturalium incluſionem dignitas, admittat eos diuerſa

con-

coniectura, quòd hos solos esse sciebat testator. Attigimus difficultatem vbi de dignitate itidem egimus, & testatoris animo a naturalibus non alieno. Dicimus nunc tractandam rem ex reg. in toto iure. cum not. ibi per Dec. & alios. Et facilè fiet, vt admittentes derogent excludentibus, quia illæ ex regula sunt, & speciales videri magis possunt: quicquid diceretur aliás, negatiuas negare fortiùs. Est hæc quæstio latior & communior, quàm vt hîc possit, debeátque tractari. Illa huc pertinet, An ista cõdicio impuberi adiecta aliquid operetur. quam latissimè doctores exponunt in l. centurio. D. de vulg. Et ego exponam libro proximo. Nunc pauca, quæ restant, nec præteriri debent, expedio. Quęro, an sit differentia inter condicionis nostræ verba adfirmatiuè cõcepta, & inter cõcepta negatiuè? De negatiuis hactenus, quę sunt illa *si sine*. Adfirmatiua hæc sunt, SI CVM LIBERIS DECESSERIT. Et Butrigarius, Baldúsque in l. 1. C. de cond. inser. & Castrensis in l. pater. §. 1. D. de cond. & dem. et Decius in l. 1. C. de pact. discrimen faciunt, nec condicioni satis factum opinantur, si cum filio vno decesserit. Ast eorum mihi rationes non videntur tales, quæ

distinctionem istã inducere possint aduersùs rationem vocabuli liberorum, quam in principio huius tractatus explicauimus. Filiorum certè nomine & filius venit. l. 6. §. 2. D. ad Treb. Et verò quicquid de proprietate sermonis cõtendi posset: illud certum est, resolui pluratiuum numerũ in singularem stante eadẽ ratione. vt innumeris definitionibus ostendit Ias. in l. Gallus. §. quid si is. D. de lib. & post. etiam in materia pœnali, odiosa, correctoria. notat, quod & ex statuto *Masculis extantibus fœminæ excludantur* fœminæ excludentur vel vno masculo extãte cum id generis alijs valde nostræ coniunctis quæstioni. Item quæro si vir vxori leget QVANDOCVNQVE LIBEROS HABEBIT, & mulier diuortio facto liberos ex alio procreauerit, deinde soluto secundo matrimonio ad priorẽ maritũ redierit: an expleta condicio intelligatur? & licet verba adfirment expletã; quòd tamen testator de his liberis verisimiliter non sensit, qui se viuo ex alio susceptí fuissent, contrarium docuit Iulianus in l. cum vir. 25. D. de cõd. & dem. Quid si hoc mortuo testatore liberos ex alio viro mulier habet? Ait Iulianus, *Qui se viuo &c.* Verisimile non est, sensisse de his testator, quoniam

niã nec de diuortio potuit cogitare, quod contra matrimoni naturã eſt, itaq; de alijs poſt mortem ſuſceptis non negauerit. Et verba pro his manent. Quid preterea facit illud *Se viuo?* Adde quod legatum cum cõferatur poſt teſtantis mortem, rectè de his accipi condicio poteſt, qui mortuo teſtatore ſuſcipiuntur. quamuis ſi ex ipſo teſtatore ſuſceperit. magis etiam expleta condicio dicetur l. ſi iam facta. l. ſi vir. 61. D. de cond. & dem. Sed & illud facit pro his liberis ex alio ſuſceptis, quod & ſi quis legat vxori empta parata ipſius cauſſa, deberi ea poſſunt ante mortem diuertenti. l. 3. D. de au. & arg. leg. poteſt ſcilicet teſtator vxori benè omnia magisque ſe mortuo velle. At ne de his filijs accipiamus condicionem, monet l. 62. eo. tit. de cond. & dem. dixerat Iulianus, non ſenſiſſe teſtatorem de his, qui ſe viuo ſuſcepti ex alio forent. ſubdit Clemens, *Sed ſi hoc ſpecialiter expreſſit teſtator, etiam ſi ex alio poſt mortem ſuam liberos procreauerit: nihilominus eum ad legatũ admitti.* Nec ſpecialis expreſſio eſt ex verbo *quãdocunq;*: quod notatur ad l. centurio de vulg. & a Clemente quę ſit illa expreſſio expreſſa eſt *Etiam ſi ex alio &c.* Ita puto. Et verba Iuliani nã apto mouere quęſtionẽ, quando ſub-

ſubiectum illis eſt, *Sed ſi hoc ſpecialiter* &c. Specialiter ita expreſſum volumus, quia verbum *quandocunque* ſignificet ſiue me viuo, ſiue me mortuo: non etiam & ex quocunque marito. nam & triſtis hæc teſtatori cogitatio, ſi anima ipſius dicitur contriſtari ex eo, quod ad alias nuptias vxor tranſeat. Atque ita interpretabimur l. pe. D. de vſur.

SI VOLET.

VErbum *volet*, *libebit*, ſimile, quin ſui natura liberam voluntatem ſignificet, dubium eſſe non poteſt. Et ita quidem Bartolus, alijque docent in l. creditor. §. Lucius. D. manda. & Dec. conſ. 254. viſo pũcto & 355. diſpoſitum. Videndũ verò primùm eſt, an & quando eiuſcemodi condicio valeat. ſed plenè id executi ſumus lib. 2. de condicion. ad tractatum captatoriarum. hîc igitur tantùm (quod in alijs facimus) verborum interpretatio. Etſi igitur libera facultas eo verbo concedatur, non id tamen verum eſt, ſi ad iudicem referuntur. Dec. conſ. 25. ſed nec verum eſt, ſi contradictio

dictio aliqua induceretur; quemadmodum declarat Decius. d. conſ. 254. aut ſi agitur de tertij alicuius præiudicio; vt per eundē d. conſ. 355. diſpoſitum. aut vt dolosè etiam agi poſſit. vt per Bar. in d. §. Lucius. aut vt quis rationem excedat. l. hodie D. de poe. Quęro autem, an quid differat ab illis, *Si placebit, Si arbitratur, Si putauerit, ſimilibus?* Hæc arbitrium boni viri ſignificant omnia. l. ſi ſic. 75. de leg. 1. l. xi. §. 6. l. ſi filiæ. 43. de leg. 3. l. 8. l. Thais. §. ſorore. de fid. lib. adde Menochium q. 8. lib. 1. de arb. iud. ca. qui tamen quod de caſtigatiſſimis exemplaribus ait ad §. ſororem. ſanè quàm non aptè. & puto Florentinos libros ei non viſos, qui habent ΑΡΕΣΩΣΙΝ. quod verbū rectè retinet mox iuriſconſultus cum verbo *Placere*. maleq; verbum alterius ſignificationis adſumſiſſet. & ita boni græcatores tranſferunt, *Placuerint*. Ad hunc paragraphum defer diſceptationem ex d. l. Labeo. D. de ſtatulib. Et ex ipſo paragrapho pete rationem ad l. Lucius. 14. eo. tit. Nec enim probo gloſſariū ibi, qui vt ſoluat propoſitam antinomiam ex l. cum proponas. ſubaudit dictionem *Maximè* in hac ipſa l. cum proponas. Sed Seiæ diſſenſus nullius momenti: quòd non iuſtè, & ex arbitrio

boni

boni viri contradicat. nullius momenti, ni. si contradicat iuste: vt etiam gloſſator attingit in d. l. cum proponas. Et Imo. Alex. alij in l. centeſimis. §. vlt. D. de ver. oblig. Itaque differentia eſt. Ceterùm in vltimis tantum voluntatibus eam agnoſcit Bartolus: atque in contractibus nō attendi circa eorum ſubſtantialia. l. quod ſæpe. §. 1. D. de contra. empt. l. 13. l. vlt. C. eo. Sed ſolùm circa accidentalia. l. hæc venditio D. eo. ita Bartolus in d. l. centeſimis. num. 7. atque cogitandum de ratione nobis edicit. An igitur ea eſt, quod heres dare iuſſus *Cum voluerit* ſi viuens non det, ſtatim heres ipſius dare teneatur, quia voluntas teſtatoris hæredem ſuum iam obligauit: itaque hæres hæredis compellatur ſtatim dare, quando velle poſtea alter iam defunctus non poteſt: & voluiſſe omnino debuit. Hæc in contractu non conueniunt: nam promiſſor nec obligatus. Item in generali ſpecie ſupra dictarum legum an & generalis ratio illa eſt, quòd imperfectus contractus eſt adhuc ſi certè non ſit de ſubſtantialibus conuentum & tranſactum, quia non aliunde accipit contractus perfectionem, quàm a perfecta conuentione. vltima autem voluntas a teſtatore

tore est: & quicquid ab eo non est, id nec est vltimæ voluntatis substantiale, nec esse potest: aut ea ex alieno arbitrio pendebit. Sic (vt verbo dicam) substantiale quod est in contractibus, id accidentale sit in vltimis voluntatibus: quod non vidit Bartolus, itaque nec sit differentia nisi in re ista. vt latiùs lib. 2. de condicion. vbi locus huic disquisitioni magis aptus. Quæro nunc quod tempus recipiat condicio *Quos voles*. videnda l. cum quidam. 24. de leg. 2. & ibi omnino Baldus. Ego noto non aduersari dictę l. creditor. §. Lucius. in eo, quod & indignum eligi posse tradit: nam ab ipso testatore facta hæc potestas, dum omnes libertos includit. Aliter Bartolus in d. §. Lucius. & in l. centesimis. §. vlt. num. 8. Sed ego mecum maneo. Iam addendum, quod si nemo eligitur, omnibus debebitur. l. Labeo. 21. §. vlt. D. de statut. l. vnum. 67. §. rogo. de leg. 2. Pulcrè autem & Quintilianus decl. 318. *Cui volet meorum libertorum hæres centum dato*. petit vnus, non obtinet. igitur iam alter petit, quia ipse nunc vnus. at hæres dicit, se & victo illi dare posse. & testator dum ait, *Cui volet*, videtur dixisse, *Et cum volet*. Hactenus declamator. Et

malè

malè ad tempus quod attinet. d.l.24. Non malè si dictum fuisset *Cum volet* l.xi. §.5.l. vxorem. §. pe. de leg. 3. Et quid mirum, morte & istam finiri? voluntas morte finitur.l.4.D. loc.igitur & vsq; ad mortem fertur. Morte autem adueniente debeatur, quod dilatum illuc vsque est; non quòd moriendo videatur velle, sed quòd cum ampliùs velle non possit,& interim non debeat eludi voluntas testatoris,omnino tum debebitur: vt dixi. Sic interpretes rectè dixerint, idem esse,legare *Cum hæres voluerit*, & *Cum morietur* per d.l. vxorem.& l. tutorem.§.relictum.eo.tit.de leg.3. & ita si legatarius morietur priùs, legatum non transmittit. d.l.xi. Et minus multo transmittitur, si dictum sit *Si volet*.l. si ita.65. §. 1.l.si ita.69. de cond.& dem. vbi & ratio definitionis habetur, *quia condicio personæ iniuncta videtur*. Atque quod factum personę respicit, id ad heredes non transit. vt per nostrates in l.sub hac.D.de oblig. illud verò est,quoniam requirit condicio nostra declarationem voluntatis: vt per Dec.in l. 13.C. de test.mil.& eam expressam,& cum effectu: nam expressa voluntas propriè voluntas dicitur.adi Bal. cons.93. istæ.lib. 2.Dec. cons.208. in casu. col.4.num.7.a-

pud

pud quem & alij. Caue tamen, ne sit in ipsum stipulantem collata hoc modo, *Promittis* X. *cum voluero*? tum enim non est condicionalis: ac transmittitur. Ita Raphael per l. si decem cum petiero. D. de ver.oblig.& sequitur, probatque Alexander in d.l.centesimis.§.vlt. Quod si dictum sit, *Si voluero*, diuersum foret. Ego alibi docui, an distinctionem istam admittere deceat. Sed quæ illa alia distinctio in proposito nostrę condicionis notata in l.12.D.de cond.inst. *Verba hæc* (ait I.C.) P.MEVIVS SI VOLET HERES ESTO, *in necessario condicionem faciunt, vt si nolit heres non existat. nam in voluntaria heredis persona frustra adduntur: cum etsi non fuerint addita, inuitus non efficitur heres.* Non ea distinctio in legatarijs est: nam legata & ignorantibus quæruntur, non hereditates: vt nihil per istam condicionem in hereditatibus exprimatur, quod & non insit tacitè. igitur frustra expressio. Hic est sensus legis. Item quæ illa alia inter *Si volet*, &, *Si voluerit*, & inter *Cum volet*, & *Cum voluerit*. notatur in l. 112. si quis stipulatus. D. de verb.oblig. quam grammaticam notat glossagraphus, & in ea iurisconsultũ grammaticum fuisse speculatiuum, scribit Baldus. Videndi au-

tem interpretes sunt ad l. serui electione. D. de leg. 1. vbi latè de ea re agunt. Illud ego reperio, distinctionem istam in actore omnes accipere, neminem in reo admittere. & multæ rationes diuersi huius iuris adferuntur. Item quod in contractibus tantùm distinctio teneat, non in vltimis voluntatibus, non in legibus: vt per supradictos interpretes: de quibus hauriri volo. Tu, si nemo habet, adde pro verbo *Volet* l. 1. §. pe. & l 6. D. ad Terty. vt in legali dispositione detur variatio. Item adde l. xi: de leg. 2. vt in testamentis non detur. Quæ & interpretes tradunt: atque ita se benè habent. Et differentia ex eo (vt ego censeo) est, quia electione facta in testamentis rem electam dedisse testator videtur. Nec potest admitti variatio, ne & faciamus testatorẽ variantem, quia iam nequit variare mortuus. In legibus contra, quę semper loquũtur, & viuunt. In contractibus aliter, in quibus scilicet ipse verbi rigor attenditur. Sed an & cum in resolutiua condicione sunt ea verba posita, differentia ipsorum stabit? An idem est, *Quousque volet*, *Donec volet* cum his *Quousque voluerit*, *Donec voluerit?* Et illa, & ista faciunt condicionem; vt per Bartol. in d. l. centesimis. Et est condi-

cio resolutiua; vt a nobis alibi. Et ego quin differentiam non retineam, non video. Cui autem istarum adiungemus illam *Ad tuam voluntatem: Ad tuum beneplacitum*. Hæc potest esse condicio resolutiua, si actui successiuo adiungitur: & potest esse constitutiua, si adiungitur actui momentaneo. vt benè declarat Alexand in d.l. centesimis. Et probat, ac communem opinionem dicit Dec. cons. 108. Ista. vbi & resolutiuam censet in dubio, quia articulus *Ad* actum dispositum denotet. maximè si adiunctum & verbum præteriti temporis. vt ibi per ipsum. Ipsam verò facio parem illi *Si voluerit, Dum voluerit*, quæ tractum non habet, vt nec ista habere potest, quia non nominum, sed verborum est tractum habere. Nomen est pars orationis sine tempore. Verbum est pars orationis cum tempore. vt per Charis. lib. 2. Sed quæro, si iudex dixerit *Pono te ad confi-cua donec voluero*, id est, His tibi locis interdictum tandiu esto, quandiu voluero. Aut, Illic esto donec voluero: An mortuo iudice finis pœnæ sit? Finis est: nam durabat cum iudicis voluntate, quæ morte finem habet. Ita

Bartolus, quicquid ante illum alij dixerint: quorum nec dictata refert, quia, ait, iuris saporem non habent. nec Bartolo contradicunt iuniores. Videndum tamen an propria iudicis persona sit appellata, an magistratus. Nam definitio procedit in primo casu, non in secundo; quoniam non moritur magistratus. Tractat aliam speciem Bartolus: Ait iudex, *Donec te reuocauero. Donec te reuocatum voluero.* Morte desinit posse velle reuocare: nam voluntas finit. An perpetuò ilic deget? Negat Bartolus, & idem hîc, quod in superiore specie docet. Verùm ego in ista parte libentiùs sentio contrarium cum Alexandro, & alijs & Dec. d. cons. 108. quorum recepta opinio est, & rationes contra Bartolum fortiores videntur, quàm vt refelli possint. Idem porro de officio peracto, aut ablato est, quod de morte dicitur. immo & de iudice furioso facto idem: nam desinit voluntas, etsi duraret officium. l. si quis alicui. D. de adq. hered. l. cum furiosus. D. de iudi. & scribit Bartol. in d. l. centesimis. ad fi. Vbi etiam illud tradit, quod heredi datum ius eligendi, aut quid faciendi aliud, donec ille heres sit, duret, non vltra; nisi in tempus mortis, aliudúe collatum a testatore

re expressè fore. l. Lucius. & seq. D. de fid. lib. l. cum pater. §. hereditatem. de leg. 2. l. ex facto. §. si quis. D. ad Treb. Et benè mihi dicere Bartolus videtur: etsi Raphael, Imola, Alexander reclament. Vnum supereſt, vt hîc dicamus de ista condicione negatiuè concepta. *Sic fidei commissum relictum.* NISI HERES MEVS NOLVERIT, ILLI DECEM DARI VOLO: *quasi condicionale fidei commissum est: & primam voluntatem exigit. Ideoque post primam voluntatem non erit arbitrium heredis dicendi noluisse.* l. XI. §. 5. de leg. 3. Sed quid est cur valeat hoc fideicommissum collatum in heredis voluntatem? explicaui aliàs. Cur *quasi* condicionale appellatur? Quia verè non est collatum in voluntatem hæredis, sed datum iam est, nisi hæres contradicit, itaque & transmitti ipsum puto: contra quàm in altero ilic traditur *cum voluerit*: quod condicionale esse legatum, nemini dubium est, ait I. C. nam cum voluntate hoc datur; illud datum tolli voluntate potest: exceptio enim excipit de constituto, non constituit. Inquit, *Primam voluntatem exigit: ideoque, &c.* Sed an non etiam sequens *Cum voluerit* primam exigit voluntatem; & post eam variandi arbitri-

um denegatur? Denegatur variandi arbitrium, vt retulimus. Neque in hoc ponitur aduersatiua *autem* in proximis illis, *Hoc autem legatum*, &c. sed in tractu temporis, & transmissione. Ait, *tractum habet quandiu viuat, &c.* Hoc est, potest voluntatem declarare quando libebit. at alterum supradictum *exigit* primam voluntatem: cogit ilicò definire, an nolit. Alia ad verba huiusmodi vide per interpretes in l. eius est nolle. D. de reg. iur. Bellonum in libris Supp. Menochium de arbitr. Cuiac. in obser. alios alibi.

SI MORITVR.

DE ista condicione tradita multa sunt lib. 1. de condicion. Hîc illud videndum primò est, quando hæc condicio impleatur. an vitæ, an mortis tempore impleatur. Et grauissimi quidem Philosophi (vt ait Gell. lib. 6. c. 13.) seriò disputarunt, quando moriens moreretur. atque contrariæ sententiæ prolatę sunt. Immo tertium tempus Plato statuit morientis, medi-

um inter mortem & vitam. Sic ex Platonis Parmenide momentaneã naturam hoc tempus appellat Alciatus lib. 2. Parerg. c. 44. & Iustinianus etiam momentum dicit in l. vlt. C. de contr. stip. Sed & ad Platonis sententiam accedere videtur Baldus, qui dicit, laborantem in extremis nec viuere omnino, nec mortuum esse. in l. cum non solum C. de bo. quę li. Tamen iurisconsulti cum illis fuisse videntur, qui istud momentum ad tempus vitæ retulerunt. l. qui duos. 18. D. de ma. test. vbi & cautio habetur, ne, si inutile id, quod agitur, ex ista interpretatione redderetur, aliud potiùs tempus introducatur. Idem quod ostenditur ex l. 1. §. si ab ipso. D. de coll. bon. Et ratio est, quia actus firmitati fauetur magis, quàm vt admitti in contrarium istę argutię debeant. Rursus verò, quod vitæ hoc tempus dederint iurisconsulti, probat l. vlt. D. de cond. inst. atque ibi notat Baldus, quod momentanea illa existentia sui hæredis inducit transmissionem hæreditatis: quoniam scilicet ea existentia non attenderetur, nisi istud induceret. l. vlt. in fi. C. de bo. quę lib. atque ideo cum attenditur, id omnino inducit. Subtiliter. Quod tamen morti immo illud tempus deputa-

rint iuriſconſulti, videri ex eo poteſt, quod tradiderunt actionem ab herede, & contra hæredem incipere non debere: itaque nec validas obligationes in tempus mortis collatas. Item facit l. Pater. 101. §. ſocrus. D. de cond. & dem. ibi. *Mori cœperat*. Ceterùm dicimus, eam regulam reſpexiſſe, quæ poſt mortem incipere debuerant. C. vt act. ab hær. & con. hær. inc. immo dicimus, quod omnes illæ formulæ, de quibus in §. poſt mortem. Inſt. de inut. ſtip. & in l. ſcrupuloſam. C. de con. ſtip. reſpiciunt vi ipſa tempus, quod mortem ſequitur: nec. n. actio eſt, niſi morte ſecuta, quia illud momentum ſemper incertum ante ſecutam mortem. Quod igitur hos actus inualidos cenſuerint iuriſconſulti, non eſt, quia illud momentum morti dederint, ſed quòd vi ipſa adſcribi vitæ nequibat. Sed immo vitę datum hoc tempus in d. §. ſocrus. quà mulieri facit fideicommiſſum quæri. Reliqua alibi docuimus. Atq; ita eſt mihi conſtitutum, vt vitæ dederint iuriſconſulti tempus, quo morimur, niſi (vt dixi) actus validitas diuerſum vellet. Niſi etiam non ita *Si moritur*, aut per futurum indicatiui *Si morietur*, ſed per futurum ſubiunctiui condicio concepta eſſet, *Si mortuus fuerit:*

hoc

hoc namq; cum a perfecto ducatur, tempus post mortem inducit. & ita traditur in d.l. 1. in §. si emancipato. Tertia limitatio est in edicto de negotijs gestis l. 3. §. eo tit. D. Sed an morte ciuili condicio implebitur? Impletur naturali. l. Statius. §. vlt. D. de iu. fis. l. ex ea. 121. D. de ver. oblig. illa propriè mors dicitur. & de ea, non de ciuili intelligitur, nisi si aliter cautum in iure sit. quæ est omnium sententia in l. Gallus. §. & quid si tantùm. D. de lib. & post. & in d.l. 121. De ciuili vtique autem crederetur, si hæc per omnia assimulabitur naturali in eo, de quo agitur: vt traditum est. Quinimmo impleta ista condicio dicetur, etsi nulla interuenerit mors; si is habetur effectus, quem quærimus. l. si ita. D. qua. di. leg. ced. l. 3. C. de inst. & subst. l. mulier. 22. in prin. D. ad Treb. l. fideicommissa. §. si cui. de leg. 3. Restat elegans quæstio. Quid si nec nascitur iste, de quo dicitur in nostra condicione *Si moritur*? Notat quæstionem Cicero lib. 2. de orat. alibique: & Crassum eius recitat sententiæ auctorem, vt extitisse condicionem crediderit, idque ex mente, licet non ex verbis. contra, Scæuolam iurisconsultum laudatissimum negasse refert, extitisse condicionem, nisi &

natus & mortuus homo esset. Meminit controuersiæ istorum & Quintilianus lib. 7.c.7. Et nobilis illa est Curiana (sic.n. appellant) caussa. Cicero autem & Quintilianus haud dubiè cum Crasso sentiunt. Secundùm quem & iudicatum dicit in ora. pro Cæcin. Disputat verò articulum etiã Dec. cons. 227. in casu. Et ipse quoque cum Crasso, Cicerone, & Quintiliano concludit. Etsi enim non moritur, qui non vixit: tamen is, qui dedit sub condicione *Si moritur* magis dedisse censebitur, si nũquam fuerit. Et pluribus veram hanc esse sententiam Decius toto illo consilio probat. Habet vero egregias plures, & pares definitiones: quę videndę apud eum sunt: quando non ego librarius. Limitatur definitio, si ita descendentes testatoris excluderentur.

SI NVPSERIT.

NOn *omnes coniunctiones*, inquit Vlpianus in l. x. D. de cond. & dem. *implent condicionem. puta.n. nondum nubilis ætatis in domum mariti deducta non paruit condicioni. Sed etsi ei coniuncta sit, cuius*

nuptijs ei inter dictum sit : idem dicemus. Itaque tria ad istam condicionem implendam requiri videntur : coniunctio, legitima ætas, & gradus legitimus. quæ tria & Iustinianus ad iustas nuptias adnotauit. Si quid horum desit, non iustæ nuptiæ contractæ sunt. igitur nec impleta cõdicio est. non enim sufficit quoquomodo impleri eam condicionem, quæ legitimè impleri potest. Ad coniunctionem quod attinet tria consideranda se se in nuptijs offerunt: coniunctio animorum, id est consensus: coniunctio solennis, id est quicquid in his agi coniunctionibus solet: & corporũ coniunctio. De consensu dicimus, oportere eum esse legitimum. Et filijfamilias nuptias contrahentis legitimum consensum non esse, nisi patris iussus accesserit. Quod latè libro primo Lectionum explicaui. Item furiosus, qui sensum nullum habet, nec consensum præstare hîc potest. vnde filiæ furiosæ nuptui a patre traditæ matrimonium non est. l. hæredibus. 77. §. 1. D. ad Treb. Errorem item impedimentum consensui ferre, manifestissimum est. Ceterùm quia erroris non vna species. est, breuiter id videamus, qui error vitiet. Et error in fortuna non vitiat

tiat, non enim quia diuitem ductam esse vir credit, quę pauperi ma est, matrimonium vitiatur. Sed nec si erratum in bonis corporis, aut animi est, matrimonium non erit. nec si in nomine error admissus est. Nihil ergo refert, pulcher sit ne maritus, an deformis: probus, an improbus: Iulius, an Porcus appellatur. De muliere quæri illud posse videtur, quæ vt virgo ducitur, si ea minimè virgo innotuerit, vtrum matrimoniũ abnuente iam viro contractum sit. Et contractũ aiunt, si rigorem iuris obseruemus: ast rescindi. Ego nec contractum esse libens admitterem, etsi in emptione constitutum contrarium prorsus est. l. alioquin. D. de contr. empt. latum quippe discrimen inter contractum & cõtractũ. Nec debet excellentia matrimonij mensuram a rebus venalibus capere, quę abdicari a nobis possunt pro libitu: nec vilis mancipij persona cum persona vxoris conferri vlla ratione debet. Errorem immo hîc in substantia statueremus (vt reor) rectiùs. adeoque ex eo matrimonium vitiari, nullumque esse: sicut & venditio ipsa nulla est. l. in venditionibus. §. 1. eo. tit. Et ratio esse potest, quia de matrimonij substantia sic est castitas, vt dissolui illud a-

dul-

dulterio, certum sit. Et eo facto impediri faciliùs, videri possit: quoniam leuiori occasione quid prohibetur ne fiat, quàm vt factum dissoluatur. Longè mihi videtur differentia maior inter virginem & impudicam, quàm inter vinum & embamma, inter aurum & plumbum: propter quas differentias venditio nulla est tamen, quia erratum in essentia sit. Dicet aliquis, matrimonium adulterio dissolui, quia matrimonium lęditur: at quando nullum adhuc est contractum matrimonium, lædi illud non potest; igitur nec præcedens factum obesse contrahendo matrimonio debet. Sed non assentior, quoniam vt hoc vitium in emptione non nocet, quia de sexu actum potiùs creditur; & stare etiam res empta potest, ac stat vel si millies post emptionem idem contingat: ita in matrimonio nocebit, quia de castitate magis cogitatum censebitur, quando stat de sexu constitutum; & matrimonium (vt dixi) adulterio distrahitur. Ita ego opinor. Si disertè ita vir contrahat; *Si te virginem inuenero*, matrimonium virgine non reperta non tenere dicit Alb. & explicat Aret. cons. 82. factum. Error porrò in corpore haud dubiè nullm matrimonium facit.

quarę

Quare nisi successisset consensus, Lia numquam Iacobi vxor fuisset. Error etiam impedit matrimonium, qui in statu personę admissus est. Et ideo si seruam duco, contractum matrimonium non est. vnde illa, *Si ancillæ alienæ*, CVM EA NVPSISSET, *legatum sit, vtile legatum est, quia possit manumissa nubere.* l. si ancillæ. 58. D. de cond. & dem. Serua enim, id quod nos dicimus, non nubit. Sed an si erratum in cognatione est, matrimoniũ nec contractum dicetur? Finge, putem me ducere Titij filiam, quæ filia Lucij est. Et videtur sanè is error substantiam attingere, quia hoc est matrimonium contrahere cognationes: neque invito quasi agnasci cognati debent. Hactenus de coniunctione animorum dictum nobis sufficiat, qui summo digito & quasi per indicẽ ista adnotamus. De solennibus coniunctionis quid dico? Videndus Brissonius est libro singulari de ritu nuptiarũ. Ceterùm longè pauciores hoc tempore solennitates, quas nemo nescit. Ego igitur in eo potiùs fuero, vt explicem, cur nostra hæc condicio impleta dici non valeat, nisi solẽnitates istæ priùs accesserint. *Sancimus*, inquit Iustinianus, *Si quis nuptiarum fecerit mentionem in qualicunq; pacto, quod ad dandum*

dum, vel ad faciendũ, vel non dandũ, vel non faciendũ concipitur, & siue nuptiarum tempus dixerit, siue nuptias nominauerit: nõ aliter intelligi condicionem esse adimplendam, vel extenuandã, nisi ipsa nuptiarũ accedat festiuitas. & nõ esse tempus inspiciendum, in quo nuptiarum ætas vel fœminis post duodecimũ annum accesserit, vel maribus post quartum decimum annum completum: sed ex quo vota nuptiarum re ipsa processerint. Sic etenim & antiqui iuris contentio dirimetur, & immensa librorum volumina ad mediocrem modum tandem peruenient l.24. C. de nupt. Hîc & ratio est, quam quęrimus. quod scilicet nec consensus, qui vnus facere nuptias dicitur, condicionem impleat nuptiarum, ne in consensu adferendo arduæ, multæque excitentur quæstiones, quas & hodie videmus excitari. Nec legitima nubendi ætas impleat, quasi verbum *nupserit* significet *nubere potuerit*: vt cum lex ait, *Si aqua pluuia nocet*, quod exponitur *Si nocere potest*. cum alijs, quæ Alciatus notat. lib. 4. de ver. sig. & notari ab alijs valent. Atq; ita in l. qui habebat. 47. D. de vulg. illa verba *Si antequã nuberet* exponit ilic Angelus, si antequam sit nubilis ætatis. Simile & in l. pater. 101. in prin. D. de cond. & dem. Et ea interpre-

tatio

catio in conditione nuptiarum leuiùs fuerit admittenda, quòd plerunque mulieri aliquid ſub ea tribuitur, quo nubere faciliùs poſſit : itaque & debeatur, cum id ipſum præſtari poteſt. cum id genus ſexcentis ratiocinationibus. In his, ſimilibuſque ea antiqui iuris contentio. Eam contentionem vt tollat Iuſtinianus, re ipſa proceſſiſſe nuptiarum vota, & ſolennia, exigit. Et ſola nubili ætate condicionem iſtam non impleri, reſcripſit etiam Philippus imperator in l. 8. C. de teſt. man. vbi & alia indicatur ratio, cur immo ætate nubili expleretur. Sed an &, quòd erat tertium, corporum quoque coniunctio acceſſiſſe debet, vt expleta condicio ſit? Ea non pertinet ad ſolennia. tamen quòd ſolennia non perficiebantur niſi poſt iſtam coniunctionem, certè medium hoc incluſerit Iuſtinianus, qui extrema notauit. quanquam coniunctio poteſt notata eſſe etiam illis verbis *Vota nuptiarum re ipſa.* Et quia ſi ſolennia exiguntur, quæ matrimonium non ſic perficiunt, vt concubitus, in quo eſt ipſa matrimonij conſummatio : magis vtique requiſita coniunctio iſta videbitur. Atque ita ego cenſerem : adeoque, ad condicionem noſtram quod attinet, non putarem ſatis,

niſi

nisi & concubitus interceſſerit. quicquid aliàs ſiue ob teneram maritorum ætatem, ſiue ob quam aliam cauſſam, rectè & perfectè contractum matrimonium ſciam, etſi eò progreſſum vſque non eſt: at conſenſus præſtitus eſt ſolùm; & ſolennia peracta ſunt. Sed cenſere ita non licet, quia diſertè contrarium ſcribitur in l. cui fuerit. 15. D. de cond. & dem. *Cui fuerit ſub hac condicione legatum*, SI IN FAMILIA NVPSISSET, *videtur impleta condicio ſtatim atque ducta eſt vxor, quamuis nondũ in cubiculũ mariti venerit. nuptias enim non concubitus, ſed conſenſus facit.* Ad ſolennia verò quod attinet, iuſta ratione in eam definitionẽ inclinarît Cæſar quòd cõdicio plenè eſt implenda. nec dici plenè impleta poteſt, quãdo etiamnum aliquid ſupereſt. Et finis eſt actus conſummatio. l. ædificia. §. perfeciſſe D. de ver. ſig. Tunc propriè dicitur plenè contractum matrimonium, cum & feſtiuitas interceſſerit, etſi contractum & antea diceretur. vt omnes tenent. Concubitus, & ſtudium prolis ſuſcipiendæ opera contracti matrimonij ſunt, & finis. Caue tamen, quod non ideo dicerem, condicionem noſtram impletam abſq; ſolennibus, ſi vel ita concepta foret, SI MATRIMO-

NIVM CONTRAXERIT: nam nuptiarum mentio & hîc fit, & ea mentio exigit solennia. Ita ad postulatum primum. Secundum est ætas legitima. Ea, quæ hodie censeatur, supradicta lege expressum est, olim non ita erat. Notat quæstionem, si annis vel habitu corporis pubertas æstimetur, Quintilianus lib. 4. c. 2. & Proculeiani licet annis istam ætatem definierint; Pegasiani tamen ex habitu corporis rem decidendam voluerunt; & Priscus coniungere vtrunq; maluit. vt est apud Vlp. fragm. tit. XI. Habuit verò Pegasi sententia a Platone originem, qui illam ponit lib. XI. de legi. Sed & ipsam exponit Galenus lib. 6. de san. tu. vt mirer Ræuardum, qui Iustiniano impositum de illius habitus inspectatione contendit lib. 4. de ambig. c. x. præsertim cum & Cassianorum verba, quæ hac de re supersunt, istam inspectationem non obscurè significent. Nubilis ætatis (inquit Plato) consentaneum, aptumque tempus iudex explorabit, masculis, & fœminis nudatis, sed fœminis tantùm vsque ad vmbilicum. Et ius canonicum itidem non ex annis, sed ex habitu de aptitudine ista censendum decernit. c. puberes, & c. de illis. de desp. impub. Et fœdius adhuc Hostiensis

hîc

hîc versatur. adi Menoch. lib. 2. de arb. cent. 1. cas. 58. qui iudicis arbitrium eum pluribus aduocat. Ego verò non dubito, quin ante Iustinianum Cassij sententia obtinuerit, quam tollere Iustinianus debuit: facit in prin. tit. Inst. qui. mo. tu. fi. Dico cum Iustiniano quantum ad masculos. ex ætate enim in fœminis etiam ante Iustinianum iudicium peragebatur. l. 4. D. de ri. nupt. in masculis nihil constitutum certi legimus in toto corpore iuris antiqui. Et quod de ætate certa in matrimonijs definita dicitur l. 14. D. de sponsa. id dixerit Modestinus intuitus Proculeianos, & Priscum: aut certam definitam ætatem nominarit etiam ex aliorum sententia; siquidem definita certa ętas & ex Cassio diceretur rectè, quæ certo habitu definita est. Quid ni dicimus rectè, *Certam ætatem matrimonio contrahendo definimus, quæ eius habitus appareat.* Etiam ipse ait Cassius, *Dies pubertatis habet aliquam demonstrationem.* l. 54. D. de cond. Et hanc Modestino mentem fuisse magis puto. nam ait, non ita esse in sponsalibus, *quæ & a primordio ætatis contrahi possunt, si modò id fieri ab vtraque persona intelligatur. id est, si non sint minores quàm septem annis.* Quæ non aduersantur, vt debent, su-

prædictis de matrimonio; si ætas ilic certa annorum numero definita censetur: cum & hîc eo etiam numero sit definita. Nec refert quòd hæc paucioribus, illa pluribus concluſa annis esſet, Nam adhuc certa vtrobiq; definitio ex ætate: quod in principio legis negatur. Sed si in hoc ętatis argumento aliquid iam omittimus, illud reſtituetur commodiſſimè in libro de legitimis temporibus perſonarum. Interim concludo, ſatiſfactum nec eſſe condicioni nonoſtræ, niſi legitima ætas adſit, Iuſtiniano notata in d.l. ſançimus. quod ſatis quoque docet d.l.4.de ri.nupt.& l.9. de ſponſal. & & d.l.x.D.de cond.& dem. Atq; ilic etiam, quod de legitimo gradu requirebamus tertio loco ad implendam condicionem, notatum eſt: *Sed & ſi ei coniuncta ſit, cuius nuptijs ei interdictum ſit: idem dicemus*: Vlpianus ait, ne ſcilicet paruerit condicioni. Sed an aliquid præter gradum & affinitatem facit, vt nuptijs interdictum ſit? An non, vt filijs ex huiuſmodi matrimonio putatiuo ius dedimus filiorum, ita ipſi huic matrimonio non dabimus? Sunt plura præter gradum & adfinitatem, quæ prohibent matrimonium: ſed quis congeret? Sed nos frequentiora notauimus, tutela

im-

impedit, dignitasque. l. 15. l. 16. D. de sponsa. Religionis diuersitas, vt ego ex iure ciuili sentio. l. 1. D. de ri. nupt. adulterium. l. 26. eo. officium. l. 38. eo. aliæ causſæ alibi designatæ. Aio ad omnes, condicionem non impleri nuptijs interdictis quibuscunque: nam generaliter ait Vlpianus, *Cuius nuptijs interdictum sit.* Et ratione tutele, officijque matrimonium non esse, palã adseritur l. prefectus. 63. l. non est matrimonium. 66. eo. tit. de ri. nupt. nec dubito, quin idem sit & ex alijs causſis; nel si non haberem aliam legem, quàm §. si aduersus. Inst. de nupt. Ad alteram quęstionem, quæ iam priori in hunc modum dissolutæ aduersa stat, respondeo, me ius idem non tribuere. & auctorem habeo Vlpianum. nisi fortè sic interpretamur dd. ll. 63. 66. & alias, vt dicant tantùm, matrimonium non esse. & Vlpianum non etiam de putatiuo matrimonio censuisse. Potest tamen & illud credi, vt filiorum ius maius sit, quàm istius matrimonij. nam ipsi filij vim aliquando matrimonio tribuunt huic. l. qui in prouincia. 57. eo. tit. de ri. nupt. l. 1. D. de lib. exh. Et ratio addi potest, quia matrimonium ipsum nec stabit, immo nec est: & durare tamen nostra hæc condicio debet,

vt expoſui lib. 2. de condicion. Sed filij manent. & ipſis, & doti, & alijs rebus, quæ ex huiuſmodi ſunt matrimonio, iura propterea tanquam ex iuſto matrimonio, tribuuntur, & ſingulares etiam rationes recitantur ſingulis, aut recitari poſſunt certè. Immo igitur Vlpianus dum indiſtinctè locutus eſt, etiam de matrimonio iſto cenſuerit, de quo & potuit dubitari magis; & quod contingere frequentiùs poteſt, ni homines ſcientes, prudentes peccare credimus. Et ita tandem hoc tempore iudico. Attexo nunc vnam & alteram quæſtionem: alia inde peti monens, vbi de firmitate iſtius condicionis, & alijs huiuſmodi egimus. Quęro, intra quantum tempus impleri hæc condicio debeat. Aiunt triennij tempus limitatum per l. 2. §. ad filiorum. C. qua. & qui. qua. par. Sed rectè refutat Decius iſtam ſententiam in l. 2. C. de inſt. & ſubſt. & docet implendam, cum primum impleri poteſt. Sed id quando eſt? Scimus vel quæ voluntatis libertas requiritur in propoſito. Ego igitur credo, impleri condicionem, quandocunque demum nuptiæ inſequantur: & non intercidere niſi morte eius, quę nubere habet. Item quęro, ſi ita dicitur, SI NVPTIAE ALICVIVS MEAE

MEAE GENTIS FIENT: nec additur vllus articulus, quo dignoſcamus, an mulieres teſtator intellexerit tantùm: num ſi vir eius gentis nubat, fieri, daríue id oporteat; quod teſtator notauit. Nuptiarum nomen commune & viris ex definitione. Et nubere veteres non ſolùm mulieres, ſed etiam viros dicebant: ita vt nunc Itali dicunt. inquit Nonius de hon. & no. vet. dict. igitur & acciperem in dubio verba teſtatoris etiã de viro nubente. Parcite, aures caſtiſſimæ Attianę. caſtè verbũ prolatum caſtè capite. nec tu lingua nobilis iactes in alios ſcõmata. monet enim, ne facias, Ariſtoteles lib. 2. Politic. c. 7. vbi de Celtis. Ammianus li. 31. vbi de Taifalis. Diodorus li. 9. c. 9. Clemẽs Anagnoſeon 8. vbi de priſca Gallorũ lege. Buccananus lib. 2. Dixiſſẽ Tacitum quoq; & Gellium, & Athæneum: Sed illi *torpore* ſcripſerunt, non *corpore*, vt vt ſe libri habeant: Athæneus autẽ mentitur. & declamator Quintilianus cõtra clamat decl. 3. ſatis dedecoris. vt exclamat alius quis neſcio.

Quo eſt gens verecundior, eo deteſtatur,
& inclamat vitia magis, criminaque.
vt magis etiam nota ilic ſint.

Gaude magna
patria.